
Scheving.

Observationes.



OBSERVATIONES CRITICÆ

IN

QVÆDAM

BRUTI CICERONIS LOCA.

AUCTORE

HALLGRIMO JOHANNÆO SCHEVING,

SCHOLÆ BESSESTADENSIS IN ISLANDIA ADJUNCTO.

Jón Thorkelsson

HAVNIÆ.

TYPIS EXCUDIT H. F. POPP,
civis et typographus Havniensis.

1817.

Commentationem hanc, diligenter et cum acumine critico elaboratam, dignissimam judicat Facultas Philosophica Universitatis Regiæ Havniensis, qvæ Magisterii Artium et Doctoratus Philosophici Honores auctori acqvirat.

Havniæ Calendis Octobribus
A. MDCCCXVII.

B. Thorlacius
Decanus Fac. Philos.

Præmonenda.

Cum Brutum Ciceronis provectioribus discipulis explicarem, nullæ ad manum erant editiones præter Halensem omnium operum Ciceronis ex recensione Ernesti, qvæ excepta varietate lectionis Gruterianæ, omni caret apparatu critico, et Monradianam Bruti, qvæ excerpta animadversionum Ernesti cum qvibusdam aliis maximam partem historicis continet. Hæc animadversionum Ernesti fragmenta dum consulo, cumqve ipsis Ciceronis verbis sæpius confligo, magis magisqve mihi persvadeo, bonam partem mutationum, qvas Ernestus proponit, tametsi interdum acumine se commendent, haud esse necessariam. Cæpi itaqve primum ea loca, qvæ mihi sine ulla mutatione satis commode explicari posse visa sunt, colligere, tum illa, qvæ aliter atqve Ernestus, vel interpungenda, vel interpretanda, vel etiam emendanda putabam. Qvibus alia addidi ab Ernesto qvidem præterita. De his et similibus cum mea colligerem annotata, forte in titulum editionis Bruti a Wetzelio accu-

A

ratæ incidi. Hanc igitur qvam primum licuit, mihi parabam, ne, si in ea qvæ alii ante me monuerant, forte incidissem, plagii arcesserer. Nec opinio fefellit, sic enim v. c. inspectio hujus editionis me docuit, *perstringeret*, qvod Cap. IX. pro *perfringeret*, legendum conjeceram, in excerptis membr. Gudianæ reperiri. Schneideri qvoqve acumen inter plures conjecturas, duabus (ad Cap. CXXII) imprimis memorandis, mihi prævit. Wetzelium in paucissimorum locorum, ubi Ernestus a vero aberravit, explicatione, mecum consentientem habui. Hic, inqvam, Wetzelius, ut historicis suis annotationibus, qvibus omnium maxime hic Ciceronis libellus indiget, Bruto egregie profuit; ita in iis, qvæ philologicam et criticam spectant, Bruti studiosorum gratiam non admodum meretur, cum imprimis conjecturis Ernesti, etiam ubi per errorem in rebus satis obviis textum mutat, locum inter verba auctoris concedere non dubitaverit v. c. Cap. XXVIII ubi particulam *ac* non attentus ad ejus significationem adversativam in *at* mutat. Mirari fere convenit non solum summum virum Ernestum, et Wetzelium, sed etiam acutissimum Schneiderum in particulæ *ac* satis freqventato usu adversativo, ut e copia exemplorum a me ad hunc locum congesta, elucebit, errare potuisse. Qvod his viris Latini sermonis peritissimis accidit, idem aliis, in particulis paullo rarioris usus, evenire posse qvivis facile videbit. Hoc de genere duo de Bruto nostro

exempla mihi producere liceat. Facile aliqvis Brut. Cap. LXXXI. in his verbis: „Qvorum alter facile soluteqve verbis — — sententias volvebat, ut nihil esset expeditius: *atque* hic a magistris parum institutus, naturam habuit admirabilem ad dicendum" *atqui*, pro *atque* scribendum conjiceret. Sed atqve pro atqvi etiam alibi positum reperi. Sic v. c. Sallust. Bell. Catilin. in orat. cæsaris" cum victor Sulla Damasippum, et alios, hujus modi, qvi malo reipublicæ creverant, jugulari jussit, qvis non factum ejus laudabat — — sed ea res magnæ initium cladis fuit. Nam ut qvisqve domum, aut villam — — alicujus concupiverat, dabat operam ut in proscriptorum numero esset — — neqve prius jugulandi finis factus est, qvam Sulla omnes suos divitiis explevit. *Atque* ego hoc non in M. Tullio neqve his temporibus vereor. Similiter Brut. Cap. LXX. in his verbis „At plus prodest imperator qvam orator. Qvis negat? Sed tamen (non metuo ne mihi acclametis est *autem* qvod sentias dicendi liber locus) malim mihi L. Crassi unam pro M. Curio dictionem, qvam Castellanos triumphos duos." aliqvis pro *autem* enim legendum suspicaretur, qvod reqviritur particula causalis. Sed *autem* pro enim sæpius poni observavi, cujus generis e Bruto haud pauca exempla colligere possem, sed malo tale aliqvod eligere, qvod minus viris doctis observatum puto. In vita Aristidis Cap. I. ait Cornelius „Hic (nempe Aristides) decem annorum legitimam pænam non pertulit. Nam

postqvam Xerxes in Græciam descendit sexto fere anno, qvam erat expulsus in patriam, restitutus est. Interfuit autem pugnæ navali apud Salamina, qvæ facta est priusqvam pœna liberaretur. Si Cornelii editores ad hanc particulæ *autem* significationem h. l. attendissent, haud initium novi capitis repugnante omnino contextu, a verbis *interfuit autem* &c., fecissent, cum sententia continuetur. Ex eo enim, qvod interfuerit pugnæ navali apud Salamina, qvæ inciderit ante qvam pœna liberaretur, colligit, Cornelius eum a legibus definitum decem annorum exilium non pertulisse, sed revocatum fuisse postqvam Xerxes in Græciam descenderit sexto fere anno post ejus proscriptionem. Negari non potest Ernestum, qvamvis variis nominibus a Cicerone optime meritum, multa ejus loca, ut in exemplo modo allato, unice ob insolentiores vocabulorum significatus, vel rariores loqvendi modos emendare voluisse, cujus qvanto major auctoritas fuit, qvo majorem cum stilo Ciceronis familiaritatem contraxisse existimatus est, eos plures, qvi securi in verba ejus jurarent, reperti sunt. Dum in hoc genere aliqvot viri magni lapsus detegere mihi videor, similes ut evitare contingat mihi, conscientia imbecilitatis virium, sperare non permittit.

Eqvidem ab initio statueram plurium scriptorum Romanorum loca simili atqve Brutum crisi subjicere, sed subinde metuens. ne, si qvicqvid hujus generis in chartas conjeceram, collectum in

unum, depromerem; scriptio modum sibi propositum excederet, visum est hac vice extra Brutum non vagari, trium modo Sallustii locorum crisi calci hujus præfaminis subnexa. Primus horum locorum legitur in Sall. Bell. Catilinario Cap. XIV. Scio fuisse nonnullos, qvi ita existimarent juventutem, qvæ domum Catilinæ freqventabat; parum honeste pudicitiam habuisse. Sed ex aliis rebus magis qvam qvod cuiqvam id compertum foret, hæc fama valebat. Sole clarius mihi videtur, hæc verba non esse Sallustii tum aperte enim pugnant cum iis, qvæ auctor supra hoc ipso capite tradit de libidine sociorum Catilinæ, non ut incertis divulgata rumoribus, sed ut in vulgus nota. Et enim ex initio hujus capitis liqvet, ipsum Sallustium non dubitasse de impudicitia sociorum Catilinæ, cum dicat in tanta tamqve corrupta civitate Catilina — omnium flagitiosorum, atqve facinorosorum circa se tanqvam stipatorum catervas habebat. Nam qvicunqve impudicus, adulter, ganeo, (qvi) pene patria bona laceraverant — hi Catilinæ proximi familiaresqve erant. Et paullo infra in eodem capite „maxime adolescentium familiaritates appetebat, eorum animi molles et ætate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur. Nam ut cujusqve studium ex ætate flagrabat, aliis scorta præbere &c. Qvis credat Sallustium se tam turpiter in eodem capite refutare. Qvod si a contradictionis crimine vindicari posset, qvod eqvidem, qvomodo salva

qveat veritate non video, haud tamen sobrii est scriptoris bis in eodem capite, eoqve brevissimo, eandem rem enarrare, imo qvod omnium maxime ridiculum est, ita referre, ac si eam antea, ne verbo qvidem tetigisset, et tamen id facit Sallustius, qvi mox post recentem memoriam libidinis sociorum Catilinæ, ejusqve in hac re erga eos indulgentiæ, eandem illam libidinem de integro narrare incipit, tali verborum formula utens, nempe illa „Scio fuisse nonnullos, qvi ita existiment" qvæ non potest qvin lectorem, in eam opinionem adducat, auctorem novam materiam exorsurum. Nihil magis inter se potest discordare, qvam illa dicendi verecundia, qva auctor hujus adsutæ laciniæ utitur „Scio, inqvit fuisse nonnullos, qvi ita existimarent juventutem, qvæ Catilinæ domum freqventabat, parum honeste pudicitiam habuisse" et Sallustii nihil minus qvam pudibunda expressio: „Catilinæ proximi familiaresqve erant impudici, adulteri, ganeones, qvi pene patria bona laceraverant. Duplicem nobis causam hujus additamenti fingere possumus, unam qvod aliqvis per meram lasciviam, contradictionem scriptori nostro adsuendo, illum ridiculum facere voluerit. Alteram, qvod alicui rhetoricæ studioso, argumentum declamationis, qva socios Catilinæ a crimine libidinis defenderet, Sallustii lectio suppeditarit, idqve reminiscendi gratia in marginem codicis sui scripserit.

Alter Sallustii locus, qvem præterire non fuit animus, legitur Bell. Catilin. Cap. LX. Sperabat propediem magnas copias se habiturum, si Romæ socii incepta patravissent. Inter ea servitia repudiebat, cujus initio ad eum magnæ copiæ concurrebant. Post vocem *cujus* excidit τo generis. Circumscriptionem *cujus generis* interdum adhibent Latini pro *qvorum*, idqve præcedente singulari, sic Cornel. in vita Miltiadis Cap. I. accidit ut Athenienses colonos vellent mittere, cujus generis cum magnus numerus esset &c. Tertius Sallustii locus est Bell. Jugurthinæ Cap. C. Marius illo et aliis temporibus Jugurthini belli, pudore magis qvam malo exercitum coercuit, qvod multi per ambitionem fieri ajebant: pars qvod a pueritia consvetam duritiem, et alia, qvæ ceteri miserias vocant, voluptati habuisset. Nisi tamen respublica pariter ac sævissimo imperio, bene atqve decore gesta.

Nisi vitiosum opinor, neqve enim unqvam commemini me id pro *sed* positum reperire, qvo significatu cum *tamen* conjunctum idem significare posset ac *utcunqve res erit*, qvem significatum ei tribuit accuratissimus Sallustii interpres Mollerus, igitur pro *nisi*, *miti* legendum existimo, tam similitudine utriusqve vocabuli ductus, qvam ipsa re jubente, sic enim *mite imperium* convenientissime opponitur *imperio sævo*. Mite imperium est, qvo milites non tam pæna qvam pudore

in officio continentur, tale fuit imperium Metelli, qvem noster supra Cap. XX., XXV. dicit summa temperantia inter *ambitionem*, sævitiamqve moderatum, et prohibendo magis a delictis, qvam vindicando exercitum brevi confirmasse. Tali etiam usum fuisse nostrum indicant verba modo allata „Et sane Marius illoqve aliisqve temporibus jugurthini belli, pudore magis qvam malo exercitum coercebat. Imperium vero qvod tam pœna, qvam pudore, qvi vinculum est bonæ disciplinæ, vacat, id dicitur *solutum* cfr. supra Cap. XXIX.

Ciceronis Bruti.

Cap. V.

Qvare si tibi est commodum ede illa, qvæ cæperas, et Bruto, et mihi. Ego vero, inqvam, si *potuero* faciam vobis satis.

Ernestianam ad h. l. conjecturam *potero* recentissimus Bruti editor Wetzelius contra omnium codicum auctoritatem in textum recipere non dubitavit, haud observans futurum exactum pro absoluto cum alias sæpe, tum sane non rarissime præcedente particula *si*, uti nostro loco, adhiberi. Sic Cic. ep. lib. XI. ep. 23. Ego si ullo modo potuero, vel nocturnis itineribus experiar, ut te videam. Idem ad Attic. lib. II. ep. 15. Si solus (manere) non potuero cum rusticis potius, qvam cum his perurbanis sc. versabor. Idem orat. cap. 10. volo enim mihi tecum esse commune, ut si sustinere tantam qvæstionem non potuero, injusti oneris impositi tua culpa sit, mea recepti. Idem de Legg. lib. III. sub finem. Faciam breviter si consequi potuero, nam pluribus verbis scripsit ad patrem tuum M. Junius sodalis &c.

Item de Legg. lib. II. cap. 18 Agri autem ne consecrentur, Platoni prorsus assentio, qvi si modo interpretari potuero his verbis utitur. Idem de orat. lib. II. cap. 20. Qvare tibi ego oratorem sic jam instituam, si potuero, ut qvid efficere possit antea perspiciam. Hæc nempe Gruteriana est lectio, qvam veriorem opinor, cum Ernestiana sit, potero. Ne qvis vero putet hoc loqvendi genus Ciceroni solum esse familiare, unum modo a M. Terent. Varrone de lingv. lat. lib. IV. exemplum mutuabor, „Non si potuero, inqvit, indagare, es ero tardior, sed velocior ideo si qvivero. Hæc abunde puto efficient in textum lectionem *potuero* esse reducendam.

Cap. VIII.

Intra parietes aluit (Isocrates) eam gloriam, qvam nemo meo qvidem judicio est poeta consecutus.

Lectionem *poeta* improbat Wetzelius transscripto in textum *postea*, causam (præeunte Runkeniolin hist. orat. p. 62) adferens; qvod rhetoris cum poeta comparatio h. l. claudicet. Verum lectio poeta meo qvidem judicio unice est probanda. Non observavit Wetzelius paucitatem virorum in magna aliqva et difficili arte aut disciplinarum genere, excellentium, pretium ipsis constituere, et qvo difficilior ars sit, tanto majorem eminentium laudem. Ex omnium vero libe-

ralium artium studiosis paucissimos oratores et poetas bonos exstitisse judicat Cicero orat. lib. I. cap. 3. Vere hoc mihi (hæc enim sunt ejus verba) videor esse dicturus ex omnibus, qvi in harum artium studiis liberalissimi sint, doctrinisqve versati, minimam copiam poetarumqve egregiorum exstitisse, atqve in hoc numero, in qvo perraro exoritur aliqvis excellens, si diligenter et ex nostrorum et ex Græcorum copia comparare volueris, multo tamen pauciores oratores, qvam poetæ boni reperientur. „Ergo hæ artes difficillimæ sunt judicandæ, atqve in iis excellere pulcherrimum, jam vero, qvi non præcepta solum eloqventiæ tradit, sed etiam orationes, et qvidem pulcherrimas elaborat, ut fecit Isocrates, is non minus honorificum in oratoribus, qvam rhetoribus locum meretur, unde etiam infra cap. 12 Cicero eum „magnum oratorem" appellat. Talis viri gloriam cum poetæ confligere (nam h. l. nulla comparatio inter ipsum poetam et oratorem, vel rhetorem instituitur) minime mihi absurdumqve videtur. Qvam id vero alienum a prudentia Ciceronis statuere, neminem post Isocratis tempora parem ei gloriam esse consecutum.

Cap. IX.

Svavis videri maluit, qvam gravis, sed svavitate ea, qva perfunderet, non qva perfringeret animos.

Sine dubio unice vera est, et in textum recipienda lectio membranæ Gudianæ *perstringeret*, qvam Schn. tuetur in ep. critic. ad Langerum. Nam qvominus hoc de illa svavitate dici possit, qvam Cic. commendat. lib, III. de orat. cap. 26 cum ait „ita sit nobis, igitur ornatus et svavis orator, ut svavitatem habeat *austeram* et *solidam*, non dulcem atqve decoctam" obstat ipsa svavitatis natura, qvæ, qvaliscunqve fuerit, tantam vim recipere non posse videtur, contra vero ipsa eloqventia facillime, nam ut Cic. ait in orat. cap. 28, ubi de amplo, copioso et gravi dicendi genere loqvitur" hujus eloqventiæ est tractare animos, hujus omnimodo permovere. Hæc modo *perfringit*, modo irrepit in sensus, inserit novas opiniones, evellit insitas.

Cap. X.

Fuit (sc. Homerus) multis annis ante Romulum, si qvidem non infra *superiorem* Lycurgum fuit, a qvo est disciplina Lacedæmoniorum adstricta legibus.

Wetzelius, qvi damnat sententiam Corradi, putantis illud superiorem additum esse respectu inferioris Lycurgi, etiam Lacedæmonii, qvi et multa præclare gesserit, statuit addita voce *superiorem*, eum distingvi ab Atheniensi oratore Lycurgo æqvali Demosthenis. Verum, ne cum alterutro confunderetur, satis superqve præcavit

Cicero, ista addendo „a qvo est disciplina Lacedæmoniorum adstricta legibus." Aut igitur vocabulum *superiorem* spurium est, qvod ego tamen non censeo, aut locus ipse aliter qvam vulgo solet intelligendus. Nempe post *superiorem*, *eo* subintelligendum est, ut referatur ad Romulum, qvod cum historica veritate convenit, constat enim Lycurgum plusqvam centum annis superiorem fuisse Romulo. Tum sensum gignit optimum, nempe hunc" etsi incerta sunt Homeri tempora, omni tamen dubio caret, eum vixisse ante Romulum, cum constet, eum non fuisse post Lycurgum, qvi tamen Romulum ætate præcessit. Haud scio an etiam ipsa latinitas receptæ interpretationi reclamet, certe haud commemini me, uti *superiorem ætatem* de ea, qvæ præcessit, et *superiores* de iis, qvi ante nos vixerunt, l. antiqvis, sic etiam *superiorem* et *inferiorem* pro majore (den Ældre) et minore (den Yngre) vel priore et posteriore, adhibitum reperire. Illud vero citra omne dubium, multo sæpius Catonem majorem et minorem Scipionem priorem et posteriorem (ut loqvitur Vell. Paterculus lib. II. cap. I et alii) qvam superiorem et inferiorem dici.

Cap. XI.

Nam qvem Thucidides, qvi et Atheniensis erat, et *summo loco natus*, *summusqve vir*, et paullo

ætate posterior, tantum mortuum scripsit, et in Attica clam humatum.

Vix possum credere ista „summo loco natus, summusqve vir" Ciceronis esse. Qvid enim attinet „magnitudinem viri et generis nobilitatem" hoc loco commemorare, nam si ista non nihil momenti haberent, ad fidem alicujus firmandam, omitti tamen debebant a scriptore, haud omnia eo spectantia, sed potissima duntaxat, qvalia sunt ista „Atheniensis erat, et paullo ætate posterior" allaturo. Nec prudentissimus scriptor Cornelius de eadem re loqvens (Themistocl. cap. 9) ista duo tetigit, sed qvod caput rei est, afferre satis habuit. Hæc enim sunt ejus verba „Scio plerosqve, qvi illorum temporum historiam reliqverunt, ita scripsisse, Themistoclem Xerxe regnante in Asiam transiisse, sed ego potissimum Thucididi credo, qvod *ætate proximus erat*, et *ejusdem civitatis fuit*. Opinor igitur ista „summo loco natus, summusqve vir" recentius esse additamentum, cui commemoratio Thucididis causam dederit, qvod deinde, aliqvis librarius in margine apographi sui inventum, in textum receperit. Simile qvid accidit Isocrati supra cap. 8. Nam cum Cicero dixerat „domum Isocratis cunctæ Græciæ, qvasi officinam qvandam dicendi patuisse, magnum fuisse oratorem, perfectumqve magistrum &c., scripsit aliqvis in margine codicis sui „egregia laus Isocratis oratoris summi", qvam deinde glossam serior libra-

rius, sed alieno loco, in textum recepit (vide Schn. ep. crit. ad Langer. loco laudato).

Cap. XIII.

Vides fontes et partus oratorum Græcorum ad nostrorum annalium rationes veteres ad ipsorum sane recentes.

Licet ista *fontes* et *partus* nec bene inter se, nec seqventibus conveniant, ut Ernestus recte observavit locum tamen sanum arbitror; nec Ernesti opus esse, nec Schneideri emendationibus. Cicero non attentus fuit ad propriam vocum *partus* et *fontes* significationem, sed tantum ad illam translatam, qva utitur, ex qva idem valent ac *initium* et *origo*, cui ista *veteres* et *recentiores* conveniunt, nec ipsa vocabula *partus* et *fontes* assumto hoc significatu inter se discordant. Similiter dixit Cic. Brut. cap. 17 imitari *ossa* et *sangvinem* verbum imitari aptans ad illam adscitam significationem, ut adeo non necesse sit cum Schneidero de pictura cogitare. Nec melius dixit Brut. cap. 20 "uncta consvetudo," "aut ornare ex fontibus," orat. lib. II. cap. II.

Cap. XV.

Ut hominis decus ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloqventia, qva virum excellentem præclare tum illi homines, florem populi esse dixerunt, Svadæqve medulla.

Displicet illud „Svadæ medulla" pro qvo legendum opinor Svadæ medullam, ut sit objectum præcedentis verbi dixerunt, nam cur Cicero, vocabulum *medulla*, immutatum e carmine Enniano, repugnante incepta verborum constructione, ad qvam aptari debebat, attulisse existimandus sit, nihil sane rationis video, imprimis cum *τo florem*, qvod non minus ex allato carmine desumtum est, verborum structuræ accommodaverit, cogitanti qvam veteres incitandis aliorum verbis parum religiosi fuerint, multo videtur verisimilius virgulam supra â, librarium negligenter omisisse.

Cap. XVII.

Sed et in nostris inscitia est &c.

Acutissimo Schneidero placet copulam *et* deleri, qvod antea nihil tale de Græcis dictum sit, unde liqvet Schn. particulam *et* h. l. pro *etiam* adhibitam existimasse, verum nil necesse est ad Græcos respicere, namqve sic sensus constitui potest „Præterqvamqve qvod Catonis luminibus obstruxit posteriorum exaggerata altius oratio, etiam nostrorum inscitia ei obest, qvod qvi in Græcis antiqvitate delectantur, et subtilitate, qvam Atticam vocant, eandem in Catone ne agnoscunt qvidem. Igitur ratio, ob qvam particulam *et* ejectam vult Schn. non satis facit. Illud vero gravioris est momenti, modo verum sit (nam

ad eam rem animum haud sane attendi), qvod Censor editionis librorum Ciceronis de Legibus ab Augusto Gorens accuratæ (ipsam enim editionem videre mihi nondum licuit) ait, editorem annotare; *et* apud Ciceronem nullibi eodem qvo *etiam* significatu adhibitum reperiri.

Cap. XIIX.

Nam et Odyssea Latina est sic tanqvam aliqvod opus Dædali.

Acutissimus Schn, annotat. in libro Gudiano, ut et in veneta sic legi. „Nam et odyssea latina est, sic in tanqvam opus aliqvod Dædali" atqve in hac forte lectione veram latere suspicatur, sibi enim vulgatam valde displicere ait; credo ob illud *sic tanqvam*, cum *tanqvam* per se sufficeret. Nec desunt tamen exempla ubi duæ particulæ non similis modo, sed ejusdem omnino significationis conjungantur. Eqvidem vero opinor *sic in tanqvam* duplicem esse lectionem, nempe *sicut*, et *tanqvam* facile enim *ut* ob similes litterarum ductus in *in* abire potuit.

Cap. XXI.

Q. Metellus imprimis est habitus eloqvens — cujus et aliæ sunt orationes, et contra T. Gracchum exposita est in C. Fanii annalibus.

Legendum videtur, qvæ exposita est, vel *ao est*, debet excludi.

Cap. XXIV.

Pleræqve scribuntur orationes habitæ jam, non ut habeantur.

Hæc verba qvantum video non aliter possunt intelligi qvam ita „Pleræqve orationes nunc domi scribuntur postqvam in foro habitæ sunt, non tamen ut de scripto dicantur" cum vero per se pateat, orationes, qvæ tum demum scribantur, cum habitæ sunt, non posse de scripto dici, frivolum illud additamentum „non ut habeantur" vehementer mihi displicet. Puto itaqve legendum *habebantur*, qva levissima qvidem mutatione, talis gignitur sensus „temporibus Ciceronis, solemne fuisse oratoribus orationes suas, postqvam habitæ erant, literis mandare, i: *non ut habebantur*", non iisdem verbis; qvibus eas habentes usi fuerant, vel qvod eorum recordatio aliqvanto erat difficilior, sev qvia verborum delectui, sermonisqve nitori, scribentes, qvam eas habentes magis studebant. Elementum b facile potuit excidisse, unde imperfect. ind. act. in præsentem conjunct. mutatum est. Idem in regibus Cornelii cap. I. factum observavi, Nam pro eo, qvod optimæ editiones dant „Hi fere fuerunt Græciæ gentis duces, qvi memoria digni *videbantur*, aliæ minus probatæ habent videantur. Sæ-

pissime solent Romanorum scriptores, imprimis vero Cicero, orationem magis accommodare ad tempora rerum vel personarum, de qvibus sermo est qvam sua. Duo in hanc rem exempla ex ipso Bruto adferam cap. 19. sit sane Ennius ut est certe perfectior, qvi si illum, ut simulat, contemneret, non omnia bella perseqvens, primum illud punicum acerrimum bellum reliqvisset, sed ipse dicit, cur id faciat; ubi contemneret et faciat est pro contemsisset et fecerit. Ita loqvitur Cicero qvasi vixisset temporibus Ennii, et cap. 24. At si eundem hunc Platonem unum auditorem haberet (pro habuisset) Demosthenes cum esset relictus a cæteris, verbum facere non posset. Ex eodem genere est illud Cornelii in vita Attici cap. 11. Qvum Saufei — — qvi cum eo complures annos *habitabat*, *habebatqve* in Italia pretiosas possessiones, triumviri bona vendidissent, Attici labore — — factum est, ut eodem nuntio S. fieret certior, se patrimonium amisisse, et recuperasse. Ad qvem locum, recentissimus Cornelii commentator J. H. Bremi annotat, sibi placere Tzschuckii conjecturam, qvi pro habitat, qvod de re præterita sermo sit, malit legere *habitarat*; at vero si *habitabat* mutandum est in *habitarat*, etiam pro seqventi imperfecto *habebat* necessario scribendum et *habuerat*, de qvo tamen tacet Bremius. Sed omnino nihil hic mutandum, nam Cornelius, sermonem aptat ad tempora rerum gestarum. Simili etiam modo nostro loco, si qvid mea valet conjectura, verbum habebantur accommodat

Cicero ad tempora habitarum orationum, hinc dicit habebantur non habentur. Cæterum lectionem vulgatam ortam puto vel litera b. ut supra dixi per negligentiam omissa, vel falsa opinione *ut* pro *qvo* sumendum esse, atqve eo conjunctivum reqviri.

Cap. XXV.

Tum L. Cassius multum potuit, non eloqventia, sed dicendo tamen, homo non liberalitate, ut alii, sed ipsa tristitia et severitate popularis.

Ernestus h. l. observat ex oppositione *tristitia* et *severitas* patere legendum esse *hilaritate*, correctionem inde ortam videri, qvod populares soliti fuerint largitionibus de publico uti. Ratio, qvam adfert Ernestus, ab omni veri specie abhorret, nam si aderat tam manifesta oppositio, ut ipsi placet, lectorem vel mediocriter attentum latere non potuit. Qvis vero sibi persvaserit vocabulum *popularis*, qvod non magis in animo lectoris cogitationem de largitionibus, qvam alia qvacunqve re, qva populi aura colligitur, excitare necesse erat, illum adduxisse ad tollendam oppositionem, qvam non temeritati, sed consilio deberi, primo statim aspectu qvivis facile perspiceret, vocabulum *liberalitas* haud rite intellectum, Ernesto occasionem dedisse textum mutandi manifestum est. Crederem etiam animo ejus obversata fuisse loca, ubi *hilaritas severitati* opponitur v. c. Brut. cap. 53. Animos omnium qvi aderant in hilaritatem a seve-

ritate traduxit et cap. 93. Nemo erat, qvi laxaret judicum animos, atqve a severitate paullisper ad risum traduceret; et similia. Tristitia geminam habet significationem, qvarum utraqve nostro loco pulcre convenit, nec minus *liberalitas* duplici gaudet significatu, utraqve per oppositionem aptissime respondente significationibus vocis *tristitiæ*. Primum igitur tristitia idem valet ac severitas (Alvorlighed) unde ista duo vocabula sæpe conjunguntur. Qvod animi temperamentum interdum placere potest, si non in acerbitatem deflectat, qvia speciem præfert gravitatis. Nam ut ait Cicero in Amicitia cap. 18. Tristitia et in omni re severitas, gravitatem habet. Deinde tristitia etiam denotat illud animi temperamentum, qvod rigide justi observantiam flagitat, et delicta acriter ulciscitur (Strenghed). Qvi animi habitus, qvod speciem præfert justitiæ, nonnunqvam popularis esse potest, qviqve illo gaudet celebritatem parare. Discimus enim e Sallust. Bell. Catilin. cap. 54. Cæsarem mansvetudine et misericordia clarum factum, Catoni severitatem, dignitatem addidisse, in altero fuisse miseris perfugium, in altero malis perniciem. Catoni haud dissimilem fuisse L. Crassum, de qvo nostro loco agitur, ex eo manifestum est, qvod, ut ad h. l. observavit Prusteus, ejus tribunal reorum scopulus vocabatur.

Eo sensu, qvo liberalitas opponi potest tristitiæ et severitati, sumtis in priore significatu, *comitatem* denotat, adjuncta tamen sæpius, qvod minime

dissimularim, generositatis notione, qvæ nunc magis, nunc minus eminet. Neqve id magis valet de substantivo liberalitas, qvam adjectivo liberalis. Huc retulerim Cic. ep. ad Lentulum lib. I. ep. 9. Hic multum valuit tum vetus amicitia, qvam tu non ignoras mihi et Q. fratri cum Cæsare, tum humanitas ejus ac liberalitas brevì tempore et litteris et officiis perspecta nobis et cognita. Epist. ad Q. fratrem lib. II. ep. 14. Itaqve eum [de M. Orosio loqvitur] tibi commendo majorem in modum, qvem fac tua liberalitate tibi obliges. Cic. epist. ad Attic. lib. III. ep. 15. Qvod si non modo tu, sed qvisqvam fuisset, qvì me Pompeji minus liberali responso perterritum a turpissimo consilio revocaret — — aut occubuissem honeste, aut victores hodie viveremus. Similiter dixit epist. lib. VIto ad Torqvatum et cæteros ep. 14. orationem Cæsaris mollem et liberalem fuisse. Qvo sensu liberalitas vocabulo tristitia in posteriore significatu opponi potest, idem fere valet ac *clementia*. Hanc significationem probat ut opinor Cic. orat. pro Flacco cap. 35. Qvæstus est libertum suum Planco prætore esse damnatum. O conditiones miseras administrandarum provinciarum, in qvibus diligentia plena simultatum est, negligentia vituperationum, ubi severitas periculosa est, liberalitas ingrata. Sed legendum opinor ubi severitas ingrata est, liberalitas periculosa. Etiam huc retulerim Cic. orat. pro Marcello cap. 6. etsi videam de generositate animi etiam intelligi

posse. „Qvoties ego eum (nempe Marcellum) et qvanto cum dolore vidi, cum insolentiam cæterorum hominum, tum etiam victoriæ ferocitatem extimescentem? Qvo gratior tua liberalitas C. Cæsar nobis, qvi illa vidimus, debet esse. Cum hæc scripseram vidi Wetzelium conjecturam Ernesti, qvam improbo in textum recepisse, affirmantem, nullam adesse causam, cur liberalitas in oratore commemoretur, gravem contra cur hilaritas in eo laudetur, qvippe qva in audientium animos influat. Accipit ergo Wetzelius liberalitatem pro munificentia, qvemadmodum Ernestus, cui significationi nihil hic loci. Deinde non observat ista" homo non liberalitate, ut alii sed ipsa tristitia et severitate popularis „non pertinere ad indolem ejus ut oratoris, sed ut hominis illustrandam, qvalia plura sunt in hoc ipso capite, {varietatis uberiorisqve notitiæ causa oratorum, qvi describuntur a Cicerone, explicationi dicendi eorum facultatum innexa· Huc pertinent ista ex hoc ipso capite" P. etiam Popilius cum *civis egregius*, tum non indisertus fuit. Et mox C. qve Tuditanus cum *omni vita atqve victu*, *excultus*, *atqve expolitus*, tum ejus elegans est habitum etiam orationis genus" et multa ejusmodi passim in Bruto nostro obvia.

Cap. XXVI.

Mucius augur, qvod pro se opus erat ipse dicebat.

Corradus ad h. l. observat contra mentem Ciceronis videri, verbum *dicebat* referre ad *pro se* et tamen ista, *qvod opus erat, pro se ipse dicebat* vix latina esse, unde suspicatur legendum „qvod opus erat per se ipse dicebat. Verum si qvid mutandum, qvod mihi tamen minime necesse videtur, *cum* pro *qvod* legerem. Cæterum qvieqvid dicat Corradus verba Ciceronis ita sunt in ordinem redigenda „Mucius dicebat ipse pro se, qvod opus erat". Nihil freqventius ista locutione pro se dicere, sic v. c. Brut. cap. 33. C. Galba rogatione Mamilia Jugurthinæ conjurationis invidia cum pro sese ipse dixisset, oppressus est. Brut. cap. 89. Qvi freqventes aderant, qvamqvam pro se ipsi dicebant, oratores non illiqvidem principes L. M. Memmius et Q. Pompejus sed oratores tamen.

Cap. XXVIII.

In aliqvo numero etiam M. Fulvius Flaccus et C. Cato Africani sororis filius, mediocres oratores; et si Flacci scripta sunt, sed ut studiosi litterarum.

Hunc locum, qvamvis cum commentatores, qvos videre mihi licuit intactum reliqverint, nunqvam potui concoqvere. Nec versio Schultzii cum in lingvam danicam ita transferentis ogſaa kom i Betragtning M. Fulv. Flaccus og C. Cato maadelige Talere; Skiønt man har Skrifter af Flaccus men ſom af en flittig Lærling suspicionem vel

latentis in eo vitii vel deficientis alicujus vocabuli mihi potuit eximere. Puto enim qvemqve satis attentum lectorem facile deprehensurum, qvam illa skjønt man har Taler af Fl. — men som af en flittig Lærling male sibi respondeant. Nam, ut antecedens cum conseqvente concordaret, reqvirebatur. Vel har man Taler af Fl. men som af en flittig Lærling; tum vero ita scriptum esse oportebat „Fl. qvidem scripta sunt, sed ut studiosi litterarum. Ut vero particula *sed* apte respondeat *τω etsi* verti debet *tamen* vel *sed tamen*, qva significatione sæpissime qvidem occurrit, sic v. c. in verbis, qvæ locum nostrum præcedunt „Appii Claudii volubilis, sed paullo fervidior erat oratio cfr. Br. cap. 70. bis 61., 67., 69. Omnibus tamen his locis ejus significatio magis accedit ad simplex men qvam, men dog, qvod noster locus reqvirit, ut adeo scriptum mallem *sed tamen*, qvemadmodum Brut. cap. 89. et 30. Si ex antecedentibus, qvod tamen fortassis nimis durum videbitur, post verba „scripta sunt" repetere „mediocria" liceret, et præterea „tamen" post „sed" ut negligenter omissum textui inserere, omnia essent plana. Malim tamen si per codices liceret textum ita transformare." Etsi vero Flacci scripta sunt tenuia, sed tamen ut studiosi litterarum ɔ: ut hominis industrii, atqve in litteris magnam ponentis operam.

Cap. XXIX.

De Scauro et Rutilo breviter licet dicere, qvorum neuter summi oratoris habuit laudem, et uterqve in multis causis versatus erat.

Ernestus ad h. l. contendit *et* pravum esse, Ciceronem qve absqve dubio scripsisse *at*, qvam conjecturam Wetzelius in textum recepit. Etiam acutissimo Schn., cum etsi legendum conjiciat, suspectam fuisse hanc particulam, manifestum est. Verum absqve dubio erravit Ernestus, et alios errare coegit, non attendens particulam *et* sæpissime vim habere adversativam idemqve valere ac *at*, *attamen*, *sed tamen*. Sic infra cap. 56. Nil tam dissimile, qvam Cotta Sculpio, *et* uterqve æqvalibus suis plurimum præstitit Cic. Somn. Scip. cap. 8. vel concidat omne coelum, omnisqve natura, et consistat necesse est Cic. de Senect. cap. 9. omnino canorum illud in voce splendescit etiam nescio qvo pacto in senectute, qvod qvidem non adhuc amisi, et videtis annos ɔ: et tamen videtis, qvam ego sim ætate provectus Liv. lib. XXXI. cap. 23. Qvod si tantum militum Romanorum fuisset, ut et Chalcis teneri, *et* non deleri præsidium Athenarum potuisset, magna res statim principio belli Chalcis et Evripus ademta regi forent. Celsus lib. III. cap. 18. omnibus sic affectis somnus est difficilis, et præcipue necessarius est. Idem l. v. cap. 26. venæ et in se coeunt et nihil ominus ora præclusa habent. Martial. Epigr.

l. XI. epigr. in Charidemum pædagogum, sive ut Martialis eum vocat cunarum motorem

Ludere nec nobis nectu permittis amare!
Nil mihi vis, et vis cuncta licere tibi.

Eodem etiam modo *ac* adhibetur, sic Brut. cap. 79. Nec vero ullum verbum aut durum, aut insolens aut humile aut longius petitum, *ac* non propria verba rerum, sed pleraqve translata. Justin. lib. XXXIX. cap. 3. Par igitur viribus fratris Czcicenus prælium committit *ac* victus in fugam vertitur Antiochiam ɔ: qvamvis ei non concederet numero copiarum, tamen victus in fugam vertitur. Eodem modo *καὶ* apud Græce scribentes adhibitum reperitur. Sic. v. c. Evripidis Phænissæ vs. 916. p. 201. edit. Schutz. *βȣ́λει συ μέν τοι, κοὐχὶ βȣλήσῃ τάχα* Aristophancs in Plut. vs. 93. cum Plutus coecus de Jove dixisset *ȣ̈τως ἐκεῖνος τοῖσι χρησοῖσι φθονει*, respondet Chremilus, *και μην δια τȣς χρησȣ̃ς γε τιμαται μόνȣς.* Qvamvis particulæ *και τοι*, et *και μεν* imprimis illa vi adversativa gaudeant apud optimæ notæ scriptores nihilo minus etiam *και* simplex interdum eodem modo adhibitum a serioribus, reperitur, qvod fortassis ex imitatione latinorum fluxerit sic v. c. Fab. Æsop. Fab. XI. edit. Heusing. ubi vulpes personam contemplans ita loqvens inducitur *ὦ δία κεφαλὴ, και εγκέφαλιον ὀυκ εχέι.* His adde Epictet cap. 46. et multo sæpius. Freqventissimus tamen hic usus particulæ *και* apud interpretes Alexandrinos, Græcos qve N. T. scriptores, qvod Koppe ad vs. 13. ep.

ad Romanos cap. I. refert ad imitationem particulæ Hebr.]. non solum *et* sed etiam *tamen* significantis.

Ex eodem capite.

In qvibusdam laudandis viris, etiamsi maximi non essent ingenii, probabilis tamen industria.

Etiam hæc verba corrupta judicat Ernestus, pro *qvibusdam* qvod sensu ait carere, cum sermo sit de Scauro et Rutilo *qvibus sane* substituens, qvam conjecturam Wetzelius in textum recepit. Ego vero vocem *qvibusdam* non referendam putem ad *το* viris, sed ad partibus l. rebus subintelligendum. Ita vero ordo est: viris in qvibusdam (rebus) laudandis probabilis fuit industria, etiamsi maximi non essent ingenii. Nil hic video qvo aliqvis jure possit offendi, nam si locus facilior qvidem intellectu esset, si ita legeretur: „His viris in qvibusdam laudandis", — haud minus tamen latinus uti nunc constitutus est. In qvibus vero laudandi fuerint viri commemorati, ipse mox opponit Cicero, ait nempe in Scauri oratione sapientis hominis et recte summam fuisse gravitatem, et naturalem qvandam auctoritatem. Rutilum vero multæ industriæ virum, juris peritum et prope perfectum in Stoicis fuisse.

Cap. XXX.

Itaqve illa, qvæ propria est laus hujus disciplinæ philosophorum de se *ipsorum* opinio firma in hoc viro et stabilis inventa est.

Etsi primo qvidem aspectu *ipsorum* vel in ipsis mutandum, vel omnino expungendum, re tamen diligentius pensitata, locum suum tueri posse videtur, si nimium periodus ita construatur „itaqve in hoc viro firma et stabilis inventa est illa opinio, qvæ ipsorum philosophorum hujus sectæ de se propria est. Qvando nude dicitur hanc vel illam aliqvis de se habet opinionem, id ita potest intelligi, ut si ipseqvidem habent, nihil tamen impediat qvominus et alii. Sin vero pronomen *ipse* additur, significatur hanc opinionem illi, de qvo sermo sit, propriam esse, nec in alios cadere. Eodem modo Liv. lib. I. cap. 28. Romani, si unqvam alias ullo in bello fuit, qvod primum diis immortalibus gratias ageretis, deinde vestræ *ipsorum* [non autem Albanorum] virtuti, hesternum id prælium fuit.

Eodem capite.

Qvi qvamqvam innocentissimus in judicium vocatus esset — cum essent eo tempore eloqventissimi viri C. et A. eorum adhibere neutrum voluit.

Tametsi hanc lectionem, qvæ primo qvidem intuitu non displicet, sed diutius considerata et per-

pensa aliqvid ingrati habere mihi videtur, damnare plane non ausim, mallem tamen, si per codices liceret, ita legere. „Qvi cum innocentissimus in judicium vocatus esset, qvamqvam essent &c. facile enim fieri potuit, ut librarius aliqvis, cum per oscitationem *qvamqvam* pro *cum* in prodosi scripsisset, erroris sui admonitus, eundem retinere maluerit, qvam vocem expungendo, lapsum calami domino operis prodere. Legi etiam possit „qvi qvamqvam innocentissimus in judicium vocatus," excluso *τω esset;* melius enim subintelligitur, nec retulerim ad *vocatus*, qvod tum mihi erit participium innitens verbo *voluit* in fine periodi, sed ad *innocentissimus.*

Cap. XXXI.

Nam ut Stoicorum adstrictior est oratio aliqvantoqve contractior, qvam aures populi reqvirunt, sic illorum liberior et *latior* qvam patitur consvetudo judiciorum et fori.

Qvum vocabula „adstrictus" et „contractus" cum ipsis oppositis „liber," et „latus" contendo, ferre possum *το* latus; cum enim *latum* id significet, qvod late vagetur, vel late patenti ambitu gaudeat, haud male opponitur *contractus*, ubi vero voces „lata oratio," seorsim considero, malim legere „oratio laxa," nam similibus loqvendi modis Cicero sæpe utitur. Sic v. c. cap. Brut. 29 Neqve enim refert videre qvid dicendum sit, nisi id qveas

solute et svaviter dicere. Num perinde dicatur *late dicere*, ut *solute dicere*, et *lata oratio*, tam diu dubitare non desinam, dum aliqvod in hanc rem exemplum invenero.

Cap. XXXIV.

C. Fimbria temporibus iisdem fere, sed longius ætate provectus, habitus est sane, ut ita dicam, *luculentus patronus* genere toto paullo fervidior, atqve commotior.

Corruptum esse hunc locum seqventibus inductus rationibus persvasissimum habeo.

I) Cicero non solet locutione ista „ut ita dicam" uti, nisi cum vel paullo audacius vel figurate loqvitur; sic v. c. Brut cap. 9. ubi multus est in laudando Demosthene „Nihil, inqvit, ut ita dicam subdole, nihil versute (sc. inveniri potûit in causis, qvas Demosthenes scripsit) qvin videret. Ibidem cap. 25. artifex, ut ita dicam, stilus. Ibid. cap. 31. in fine: Demosthenis oratio in philosophiam translata pugnacior, ut ita dicam, videtur. Illud vero „luculentus patronûs" neqve audacter, neqve magis figurate dictum videtur, qvam v. c. eximius, et innumera alia, qvæ etsi primitus aliud denotarent, Ciceronis tamen ætate, primitiva talium significatio ita in desvetudinem abierat ut, qvæ ei successerat, aliunde translatam, haud facile qvis observaret. 2) Qvi potest ille dici *luculentus* patronus, qvi sit *asper* et *maledicus?* Num ista nisi

in malum, aut saltem mediocrem patronum cadere possunt.

3) Hic apertissima est contradictio, nam primo dicitur „habitus est sane *luculentus patronus* et mox de eodem viro" idem *tolerabilis patronus* sc. habitus est. 4) cum qvalis habitus esset patronus dictum fuerat, non modo supervacuum erat, sedne sobrii qvidem hominis, mox de integro, qvalis habitus sit patronus, referre, ac si ea re intacta. — His allatis rationibus, qvæ in voce lateat mendum et qvid eo sublato, reponendum sit, manifestum mihi videtur. Nempe pro luculentus *patronus* legendum esse luculentus *accusator.* Omnia huic lectioni favent, qvæ vulgatæ adversantur. Primum verba *ut ita dicam*, qvæ lectio „luculentus patronus" plane ut otiosa respuit, bene cum lectione „luculentus accusator„ concinunt, nam qvi accusationes apud Romanos factitabant, homines non boni, certe non gratiosi, habebantur, qvod cum ex multis locis Ciceronis patet, tum vero hoc ipso capite sat perspicue, ubi Cic. loquitur de M. Bruto, qvem dicit dedecori fuisse Brutorum generi, qvod accusationes factitaverit, eumqve fuisse accusatorem vehementem et molestum, ut facile fuerit cernere naturale qvoddam stirpis bonum degenerasse vitio depravatæ voluntatis, cum cultori artis alicujus minus honestæ, qvalis est *accusatio* honesta prædicata tribuimus, qvo de genere est illud *luculentus*, qvia improprie et paullo audacius loqvimur, emolliendi formula *ut ita dicam* opus

est. — Deinde illa asper et maledicus, qvæ tam male qvadrant in luculentum patronum, accusatori bene conveniunt. Talibus enim, aut similibus prædicatis a Cicerone passim insigniuntur. Sic v. c. hoc ipso capite legitur accusator vehemens et molestus, cap. 36. accusatores acres et acerbi cap. 45. acer et vehemens accusator orat. pro Flacco cap. 10. Accusator dixerat acriter et vehementer et sic sæpe. Tertium qvod attinet, omnis contradictio perit simul atqve proposita a me lectio admittitur, facile enim fieri potest, ut, qvi luculentus est accusator, idem patronus tantum sit, probabilis, nam in ea re plurimum, usus valet, ingeniiqve habitus, et sane Cic. Brut. cap. 36. distingvit inter virtutes, oratoris atqve accusatoris, cum dicit. „Tum etiam C. et L. Memmii fuerunt, oratores mediocres, accusatores acres, et acerbi. — Contra eam, qvam stabilire conor conjecturam, non video qvid cum aliqva veri specie objici possit; nisi forte me regulam violare criticam, qvæ jubeat in auctorum locis ex conjectura emendandis, qvam maxime fieri possit, premere vestigia vocis depravatæ; meam vero conjecturam immensum qvantum discrepare a lectione, qvam textus exhibeat. Sed jure meo respondere mihi posse videor, isti regulæ nihil hic loci esse, nam uti non omnes, qvos puer aliqvis in stilo elaborando committit errores ex eadem regula syntactita possunt emendari, ita nec librariorum ex eadem regula critica. Nemo Ernestum jure potest reprehendere, qvod hanc regulam violaverit;

tum *luculentus* in „truculentus," mutavit, nec tamen ista mutatione qvicqvam effectum ad locum integritati restituendum. Mendum sine dubio inde ortum est, qvod exscriptor aliqvis seductus idearum associatione, dum obiter oculum in vocem *accusator* conjicit, recordatur dictionis illi contrariæ, nempe *patronus* eamqve per incogitantiam exarat. Simile accidit in Vell. Patercul. lib. II. cap. 37. ubi generum pro socerum vitiose scriptum est. Dicitur nempe Mithridates rex Ponti a Pompejo devictus Armeniam Tigranemque socerum petiisse." Cum constet Tigranem non fuisse socerum sed generum Mithridatis. Qvod Ernesto non successit locum sanitati restituere, causa in eo qværenda est, qvod animum modo ad proxima attendit, nempe dissonantiam, qvæ est inter luculentus patronus, et ea, qvæ mox seqvuntur, nempe asper et maledicus, eaque plane tollitur „luculentus" mutando in truculentus, verum, qvod tamen caput rei erat, oblitus est, illud, idem tolerabilis patronus cum eo, qvod modo præcesserat „habitus est luculentus patronus," confligere, qvæ evidentissimam contradictionem in se habent; hinc minime mirandum, si fontem erroris indagare non potuit. Cum hæc scripseram, in manus mihi pervenit Wetzelii Brutus, qvo vidi, Wetzelium Ernestianam conjecturam *truculentus* in textum transtulisse, voce *patronus* cancellis inclusa, qvam Ernesto ait suspectam, qvod paullo infra hoc ipso capite repetatur. Ergo tantum observavit Ern. re-

petitionem, non vero contradictionem, qvam supra ostendi, qvo factum est, ut vocem *patronus* non pro vitio librariorum; sed glossa hadbuerit, qvæ peperisset vocem *luculentus*, qvod de patrono commode dicatur, non vero de persona, cui aptius esset *truculentus*. Hinc liquet Monradum non integram Ernesti notam attulisse, qvod me, qvi Ernestiana editione caream, facile decepit.

Eodem Capite.

Hæc verba „Iisdem temporibus M Brutus, in qvo magnum fuit Brute dedecus generi vestro, qvi cum tanto nomine esset, accusationem factitaverit, ut Athenis Lycurgus; sit accusator vehemens et molestus, ut facile cerneres, naturale qvoddam stirpis bonum, degenerasse vitio depravatæ voluntatis" mihi suspecta sunt, nam utiqve est mirum, Ciceronem hominem, in qvo dicit magnum generi suo fuisse dedecus, et in qvo naturale stirpis bonum degeneraverit vitio depravatæ voluntatis, comparare cum viro justitiæ et probitatis fama insigni, qvalis erat Lycurgus, Atheniensis orator, nam si vehementem accusatorem, et simul depravati ingenii cum altero similiter constituto voluit comparare, Aristogiton aut similis aliqvis qværendus videtur. Non igitur video, qvomodo hæc comparatio possit consistere, nisi statuamus omnem ejus vim modo inesse verbis vehemens et molestus, nam satis constat Lycurgum vehementem et acrem fuisse accusatorem, qvod autem Brutus iste dicitur

„dedecori fuisse generi suo &c. eo forte unice spectat, qvod Brutus iste stirpis naturali bono abusus fuerit, ad studium artis genere suo indignæ. Hæc mea opinio confirmatur qvodam loco Ciceronis Ep. Att. ep. lib. I. ep. 13, qvo intelligitur, Lycurgos qvasi proverbiali qvodam loqvendi genere dictos fuisse vehementissimos qvosqve accusatores, Ciceronis autem verba sunt „Messala vehementer adhuc agit severe, boni viri precibus Clodii removentur a causa, operæ comparantur, nosmet ipsi, qvi Lycurgei a principio fuissemus, qvotidie demitigamur, instat et urget Cato. Qvid multa vereor ne hæc neglecta a bonis, defensa ab improbis, magnorum rei publicæ malorum causa sint (cfr. Turneb Adversar. lib. XVII. cap. 3.) — Cæterum notatu est dignum, qvod, ut Lycurgus Atheniensis orator de qvovis vehementi accusatore, ita etiam Lycurgus Lacedæmoniorum legislator, de qvibusqve ultra modum severis judicibus adhibitus videtur. Ammian. lib. XXII. cap. 9. p. 256. edit. A. G. Ernest. Verum ille judicibus Cassiis tristior et Lycurgis causarum monumenta æqvo jure perpendens, suum cuiqve tribuebat, nusqvam a vero abductus, acrius in cæteros exsurgens et lib. XXX. cap. 8. sub finem „judices nunqvam consulto malignos elegit, sed si semel promotos agere didicit immaniter, Lycurgos invenisse se prædicabat atqve Cassios columina justitiæ priscæ.

Cap. XXXV.

Qvamqvam filius qvidem non fuit in oratorum numero, sed non deerat ei tamen in sententia dicenda cum prudentia, tum elegans qvoddam et eruditum orationis genus.

Particula *sed* mihi h. l. non modo commode abesse posse, sed etiam orationem perturbare videtur, nisi qvamqvam ab initio periodi ejiciatur, certe mihi in præsentia non succurrunt exempla ubi *sed* ante *tamen* perinde atqve nostro loco adhibeatur. Multo enim aliter in his Brut. cap. 30. Qvorum (sc. Stoicorum) acutum (est) et artis plenum orationis genus, *sed tamen* exile, nec satis populari assentioni accommodatum et cap. 89. Qvi freqventes aderant, qvamqvam pro se dicebant, oratores non illiqvidem principes L. M. et Q. P., sed oratores tamen diserto teste uterqve Philippo.

Cap. XXXVI.

Qvam multi enim jam oratores commemorati sunt, et qvam diu in eorum commemoratione versamur *cum tamen* ad Antonium et Crassum pervenimus.

Cogitanti qvot Ciceronis loca Ernestus et alii, nec illiqvidem obscuri nominis critici in variis autoribus, unice ob insolentiores loqvendi modos emendare voluerint, succurrit nostro etiam loco *tamen*, qvia redundare videtur eam suspicio-

nem facile injicere posse, hanc particulam vel omnino tollendam, vel verba *cum tamen* in *qvam tandem* mutanda', cum præsertim *tamen* non sæpe solum in *tandem* et vice versa ob utriusqve vocabuli similitudinem, abierit. Exemplum e Ciceronis lib. III. de orat. cap. 18. in hanc rem adfert Cleric. Art. critic. vol. IIdo pag. 97., sed etiam alias haud valde dissimiles particulas v. c. *tum*, cujus rei exemplum subpeditat membrana, cujus excerpta dedit Schn. ep. critic. ad Langerum cap. Brut. 26. Ideo annotare visum est, *tamen* non nostro tantum loco, sed freqventer alias ita adhiberi, ut qvamvis redundare videatur, nihilo tamen minus observante Gesnero in thesauro suo relationem qvandam propositionum indicet. Imo vero qvoties *tamen* sic occurrit, semper periodus ita resolvi potest, ut ratio adhibitæ hujus particulæ appareat, qvod si ad nostrum locum applicetur, ita erit resolvendus". Qvamdiu in oratorum commemoratione versamur, cum tamen (sc. qvamvis diu in ea versati fuerimus) ad Antonium Crassumqve pervenimus.

Cap. XXXVIII.

Sed cum hæc magna in Antonio, tum actio singularis, qvæ si partienda est in gestum atqve vocem, gestus erat non verba exprimens, sed cum sententiis congruens [manus, humeri, latera, supplosio pedis, status, incessus,

omnisqve motus cum verbis sententiisqve congruens] vox permanens verum subrauca natura.

Verba, qvæ a me cancellis inclusa sunt vix puto esse Ciceronis, sed alicujus declamatoris, qvi gestum corporis in suas partes resolvens, non observaverit ista, verbis Ciceronis, partim contradicere, qvimodo affirmaverat gestum Antonii „non verba expressisse, sed cum sententiis fuisse congruentem, partim otiosam esse repetitionem, cum Cicero supra dixerit „gestum Antonii cum sententiis congruisse". Hanc meam sententiam præterea confirmat locus Ciceronis orat. lib. III. cap. 59. ubi Cicero gestum, qvi verba exprimat, scenicum appellat. Ita vero loqvitur „omnes autem hos motus subseqvi debet gestus, non hic verba exprimens scenicus, sed universam rem et sententiam" collatus cum nostro loco, ubi Antonii gestus fuisse dicitur *singularis* qvod vocabulum hoc loco non nisi de egregia et excellenti actione intelligi posse præcedentia mihi facile persvadent. Ex allato autem oratoris loco liqvet, gestum verba exprimentem, qvia scenicus sit, oratorem dedecere, qvi vero dedecenti gestu utitur, illius actio minime dicenda est egregia. Deinde circumcisa hac loqvacitate elegantissima membrorum periodi oppositio, et numerus oratorius prodit, gestus erat non verba exprimens, sed cum sententiis congruens, vox permanens verum subrauca natura.

Cap. L.

Aderant multi alii, tamen utrum de his dubitasset aliqvis, qvin alterum nemo.

Hæc cum Ernestus non intelligeret, *aderant* mutavit in *at erant* et pro *qvin an* legendum conjicit. Wetzelius sensum loci recte qvidem percepit, sed exemplis non probavit, qvod tamen faciendum erat, *alterum* pro *alterutrum* uti h. l. etiam alibi reperiri. Bina mihi in hanc rem exempla enotavi Liv. lib. I. cap. 13. Melius peribimus, qvam sine alteris vestrum viduæ, aut orbæ vivemus. Qvinctilian Inst. orat. tom. 2., p. 194. edit. Harl. Ac si necesse est in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere, qvam multa displicere maluerim.

Cap. LI.

Oratori populi aures tanqvam tibiæ sunt, eæ si inflatum non recipiunt, aut si auditor omnino tanqvam eqvus non facit, agitandi finis est faciendus.

Varie explicant viri docti verbum *facere* nostro loco. Turneb. Adversar. lib. XIV. cap. 22. putat verbum esse Circense, pro argumento habens, qvod *factiones*, qvæ a *faciendo* nomen adeptæ sint, in circo qvatuor fuerint, et in lusu pilæ factores etiam appellet Plautus, eqvum igitur putat *facere*, qvi aurigæ pareat. Gvilelmus observante Schnei-

dero in epist. critic ad Langerum p. XXXIII. putat respici dictum vulgare *nihil fit*. Ernestus in clave Ciceroniana sub voce *facio* dicit eqvum non facere, ut ex ipso loco (nempe nostro) intelligatur, qvi loco moveri non possit, ne qve calcaribus subditis, neqve flagellis adhibitis, adeoqve itineri faciendo minus sit idoneus. Eadem est Gesneri explicatio in Thesauro suo sub voce *eqvus*. Schneiderus ad h. l. pro voce *facit* legendum putat *paret* aut simile qvid, qvod Cicero non soleat verbum *facere* sic adhibere, nisi certum qvoddam præmiserit, ad qvod illud possit referri. Circumspicienti mihi exempla, qvæ usum verbi *facio* nostro loco illustrarent; nulla succurrebant præter illud Ovid. Amor lib. I. Eleg. 2. vs. 16. Asper eqvus duris concutitur ora lupatis: Frena minus sentit qvisqvis ad arma facit: qvod mihi tamen paullo est obscurius. Cæterum eadem, qvæ nostro loco sententia recurrit Cic. orat. lib. II. cap. 83. Habet enim multitudo vim qvandam talem, ut qvem admodum tibicen sine tibiis canere, sic orator sine multitudine audiente eloqvens esse non possit.

Cap. LIII.

Hoc illo initio consecutus multis ejusdem generis sententiis delectavit.

Ernestus præpositionem *in* ante „illo initio" delendam putat, tum verba „hoc illo initio consecutus" ita explicat „cum hoc effecisset illo initio.

faceto, etiam reliqva oratione effecit." Ernesti fere vestigia pressit Schultzius ita vertens og da han ved denne Begyndelse havde vundet meget, merede han fremdeles ved flere deslige Indfald. Etiam recentissimus Bruti editor Wetzelius Ernestiana explicatione contentus fuit. At vero, si ejus explicatio stare posset, ita scriptum esse oportebat, „Hoc illo initio consecutus est, ut animos omnium, qvi aderant, in hilaritatem a severitate traduceret." Prætera si verbum *consecutus* efficiendi sensu cum Ernesto sumitur, qværere subit: Qvid tandem effecit Crassus? Qvove pertinet illud *hoc?* nam ad antecedentia referendum esse, res ipsa loqvitur. At vero Cicero aperte tria, qvæ effecerit Crassus, et efficere debeat orator subjungit, non præmisit, e qvibus non nisi unum faceto isto initio effecit Crassus, nempe ut animos auditorum delectaret, verum nondum qvid isto initio perfecisset exposuerat Cicero, sed tantum materiam efficiendi. Nihil esse qvo *hoc* referri posset, suboluisse videtur Schultzio, qvi, prout ejus versio indicat, *hoc* licet contra omnium codicum auctoritatem, in *multum* mutavit. Mihi persvasum est *conseqvi* hic non efficiendi sensu sumendum esse, sed idem valere qvod alias *perseqvi* vel *exeqvi*, cumqve esse loci sensum „postqvam Crassus *hoc* ɔ: comparationem Scævolæ cum puero delicato explicaverat, delectavit auditores" De hac interpretatione dubitare desinet, qvi Ciceronem secum conflixerit, qvomodoqve eandem fere rem varieret, attenderit. Primum igi-

tur ait „Hæc illo initio *consecutus* animos omnium, qvi aderant, in hilaritatem a severitate traduxit". Deinde „Hæc et multa ejusmodi *dicens* fidem faciebat. Postremo „Hæc graviter *explicans* admirationem commovit. Qvis non videt modo attentionem adhibeat, ista *consecutus*, *dicens*, *explicans* idem significare, cum de triplici oratoris officio, qvod autor noster supra cap. 49. ponit, in docendo, delectando, movendo, cuiqve Crassum in oratione pro Curio satisfecisse testatur, adhibeantur. Qvod si istæ dicendi virtutes, qvas Cicero nostro loco laudat in oratione Crassi, non accurate respondeant triplici, qvod supra dixi oratoris officio, nihilo tamen minus toto hoc capite (empe 53) manifestum est, Ciceronem in exponendis Crassi eloqventiæ laudibus, ea respexisse. Hactenus dictis effectum opinor, ut de significatu, qvem *consecutus* h. l. obtineat, dubitatio nulla supersit. De usu vero ambigi possit, fateor enim exempla, qvibus firmari qveat, obvia mihi fuisse nulla, at vero in locutionem *verbis conseqvi* ,). dictis rem, de qva sermo sit exæqvare, haud raro incidi. Sic Cic. Philippic. Vta cap. 13. Qvibusnam verbis ejus laudes hujus temporis, conseqvi possumus. Ad Heren. lib. IV. cap. 18. , Neqveo verbis conseqvi indignitatem rei cfr. ad eundem lib. III. cap. 6. et lib. IV. cap. 39. Et Non. Marcell. *conseqvi* explicat exprimere, definire, qvæ significatio, si non accurate cum loco nostro congruat, haud valde tamen ab eo aliena est. Nec magno-

pere qvicqvam impedit, qvominus nostro loco existimemus in verbo *consequi* qvodsm modo latere vim, expositam rem verbis exæqvandi, ejusqve sensum ita exprimamus, Crassum lepidam comparationem Scævolæ cum puero delicato pari verborum lepore executum esse. Qvodsi minus placuerit, pro *consecutus* legendum vel *persecutus* vel *executus*, facile enim composita ejusdem verbi per operarum oscitationem invicem commutari possunt, cujus exempla non desunt in Brut. sic v. c. cap. 95. dimittere pro remittere.

Cap. LIV.

Præstat enim doctus auditor indocto, qvod sæpe, cum duo oratores aut plures populi judicio probantur qvod dicendi genus optimum sit, intelligit. Nam illud, qvod populo non probatur, ne intelligenti qvidem *oratori* probari potest.

Cum hic Cicero de eo loqvatur, qvid inter judicium docti et indocti anditoris non vero oratoris intersit, manifestum est pro *oratori*, qvod vel per lapsum calami vel vitio operarum dat editio Ernestiana (nam in antiqvioribus v. c. Lambini vera lectio reperitur) qvodqve Monradus, ut et recentissimus Bruti editor Wetzelius servarunt, legendum esse auditori.

Ibidem.

Videt oscitantem judicem mittentem ad horas.

Ernestus *horas* h. l. intelligit de clepsydris judiciariis, de qvo tamen vocis significatu dubitat, conjicit igitur forte legendum *ad forum*. Ego vero qvid impediat, qvominus *hora* solemni sensu accipiatur, non video, et enim illud *mittere ad horas* breviore modo locutione dictum esse potest pro mittere ad observandas l. speculandas horas. Si qvid vero mutandum, qvod minime putem necesse, non minus commodo sensu legeretur „mussantem ad horas" ɔ: ad singula horum intervalla murmurantem, ad significandum manendi tædium.

Cap. LIX.

Non publicum jus, non privatum et civile cognoverat.

Etsi *et* h. l. ferri qvidem possit, malem tamen pro eo *nec* reponi.

Cap. LXI.

Sed ita totus errat ut in eodem sermone dicat *in senatu*, se Cæsare consule non accedere, *sed* id dicat ipso consule exiens e senatu.

Primum dicit Ernestus pro *senatu* legendum *senatum*; deinde pro *sed et* reponendum propter

verba præcedentia in eodem sermone, de suo addit Wetzelius, particulam adversativam respuentia et copulativam postulantia. Neutra harum conjecturarum a veri qvidem specie abhorret, num vero ideo necessariæ sint, nonnihil dubito. Ad priorem enim qvod attinet; haud desunt similium exempla, sic v. c. dixit Cicero ep. lib. VI. cap. 18. Neqve enim erat ferendum, cum qvi hodie haruspicinam facerent in *senatu* Romæ legerentur, eos, qvi aliqvando præconium fecissent, in municipiis decuriones esse non licere. Posteriorem vero lectionem cum excutio, in Sermone Curionis, ut Ernesto placuit, qvod eam mihi suspectam facere qveat, possum reperire, nam si illud *sed*, qvia etiam ab initio periodi collocatum est, paullo ingratiorem repetitionem pariat; id certe tanti non est, ut mutatione opus sit, temere igitur fecit Wetzelius dum Ernesti conjecturam in textum recepit, qvæ re vera eodem recidit, qvo illa lectio, qvam improbat. Nam manifestum est sive *et* vel *sed* legatur, prius *et tamen* posterius vero *sed tamen* h, l. valere oportere, utrum vero horum admittatur nihil interest, cum sensus sit „Tantus est Curionis error, ut in eo sermone, qvem institutum fingit, cum ipse exiisset e senatu, qvem Cæsar, tunc temporis consul, habuerat, se dicat non accedere in senatum Cæsare consule, sed tamen hoc dicat (nempe se non accedere in senatum Cæsare consule) cum recens exierit e senatu, ipso Cæsare consule. Abundat Brutus exemplis

particulæ *sed* pro *sed tamen* adhibitæ, sic v. c. cap. 61., 67., 69., 70.

Cap. LXVI.

Cn. autem Lentulus multo majorem opinionem dicendi actione faciebat, qvam qvanta in eo facultas erat, qvi cum esset nec peracutus, qvamqvam et ex facie, et ex vultu videbatur, nec abundans verbis, etsi fallebat eo ipso, sic intervallis, exclamationibus, voce svavi et canora, admirando irridebat, calebat in agendo, ut ea, qvæ deerant, non desiderarentur.

Varias expediendi hujusce loci rationes excogitarunt Bruti commentatores, qvæ legi possunt in editione Bruti Wetzeliana. Missis Corradi et Lambini sententiis recentiores duas, Gruterianam nempe et Ernestianam dijudicandas seligam. Priorem qvidem non attigissem nisi suus auctor spreta Lambini conjectura vulgatam in patrocinium suscepisset, recentissimusqve adeo Bruti editor Wetzelius ad eam maxime inclinare videatur. Vult igitur, ut ex Wetzelio colligo, (nam ipsa ejus editione non utor) „admirando irridebat" ironiam indicare, cujus hoc proprium sit, ut dum laudet, et mirari se simulet, irrideat, verum; qvantum video in „admirando irridebat" nulla est difficultas, sed cardo rei in eo vertitur, qvo pertineant ablativi „intervallis, exclamationibus, voce svavi et canora, qvi sane ad *irridebat* referri omnes non

possunt, nam si exclamationibus, imo vero ipsis adeo intervallis irridere qvis posset, svavitate tamen et claritate vocis minime. Præterea cum intervalla, exclamationes, svavitasqve vocis ad actionem pertineant, et Cn. Lentulus bonitate actionis, Cœterarum, ut Cicero mox testatur, dicendi virtutum medioeritatem occultaverit, patet ista tria ad solum irridendi actum non esse restringenda, sed unum qvodqve horum seorsim spectandum, ut totidem virtutes, qvæ in unum consociatæ haud parum ad actionis præstantiam conferant. Neqve enim is bonus esset actor, qvi *intervallis*, non nisi in *irridendo* uti sciret, cum in multis præterea eloqvendi partibus locum habere debeant v. c. in demonstrationibus, et conqvestionibus ut patet ex lib. III. ad Herenn. cap, 14. cum est in demonstratione voce paullulum attenuata crebris intervallis, et divisionibus uti oportebit. Et in fine ejusdem capitis „In conqvestione utendum voce depressa, inclinato sono, crebris intervallis. Idem de exclamationibus dici potest. Hac tenus de Gruteri conjectura. Ernestus pro *calebat* in agendo legendum conjicit *valebat in agendo*, verum id tautologiam parit, nam supra dixerat Cicero" Cn. Lentulus multo majorem opinionem dicendi actione faciebat qvam qvanta in eo facultas erat. Nil ergo attinet tam langvida et supervacua verba Ciceroni obtrudere. Qvid enim in agendo non valeret, qvi sola actione eloqventiæ famam sibi pepererat, et ut Cicero modo addit, eadem illa dicendi mediocritatem

occultaverat, ne hic, repetam, intervalla, exclamationes &c. ad actionem pertinere. Nec aliqvid causæ video qvominus *calere* locum suum hic tueatur, nam cum Cic. epist ad Attic. lib. IV. ep. 16. pag. 71. dicat judicia ubi res agitur vehementius, *calere*, non minus idem de Oratore qvi in agendo magna laterum et vocis contentione utitur, dici potest. Credam igitur Ernesto illud *calere* non tam per se displicuisse, qvam qvod desiderans ali qvod verbum, qvod præcedentibus ablativis conveniret, idem levissima mutatione verbo *calere* ex cudere posse sibi visus sit. Hæc de Ernesti conjectura. Nunc qvid mihi locum perpendenti in mentem venerit, paucis exponam cum in antecessum, unum qvod Schultium mihi præterisse videtur, annotavero. Haud rarum nempe est deprehendere, non magis apud Latinos, qvam Græcos scriptores qvod particulam, a qva prodosis debebat incipere omittant, id qvod etiam in nostro loco evenit, nam ante *sic* in conseqventi, omissum est *tamen*, qvod *cum* in antecedenti, ibidemqve pro *qvamvis* posito, opponi debebat. Similibus exemplis abundat Brutus cap. 59. Idqve (nempe dicendi opus) cum (qvamvis) ex qvinqve notissimis partibus constaret [tamen] nemo in aliqva parte earum omnino nihil poterat. Et cap. 61. Itaqve cum (qvamvis) ei nec officium decsset, et flagraret studio dicendi [tamen] perpaucæ ad eum causæ deferebantur. — Supra in djiudicanda Gruteri conjectura ostendere conatus sum, verbum *irride-*

bat ad præcedentes ablativos non posse referri, nec magis eosdem a verbo *calebat* pendere manifestum est, nam de Ernestiano *valebat* satis dictum puto, per se tamen, et sine ullo, ut ita dicam, adminiculo consistere neqveunt, relinqvitur ergo I) vel ut aliqvid exciderit, qvod sæpius in Bruto factum, qvivis attentus lector facile observaverit. Si post vërba „voce svavi et canora" addatur *capiebat auditores* aut simile qvid, omnis perit difficultas. Ita vero Cicero in re simili locutus est Brut. cap. 62. L. Apulejus Saturnius magis specie et motu atqve ipso amictu *capiebat homines*, qvam aut dicendi copia, aut mediocritate prudentiæ, II.) vel pro *irridebat*, qvod *admirando* qvidem satis bene convenit non vero cæteris, substituatur aliud verbum, qvod ad præcedentes ablativos sese accommodet. Haud eqvidem ignoro, reperiri exempla ubi verbum non proprie respondeat nisi proxime præcedentibus, sed cæteris improprie, tum vero reqviritur, ut non plane ab illo abhorreant, ut ista „voce svavi et canora". III.) Vel post præcedentes ablativos ex antecedentibus repetatur verbum *fallebat*, aut deniqve. IVto) Subintelligatur verbum aliqvod v. c. *utebatur* vel aliud antecedentibus magis accommodatum. Ex iis, qvæ hactenus attuli locum expediendi rationibus, mihi prima maxime probatur. Illud vero qvoqve observandum *sic* non tantum pertinere ad primum periodi membrum, sed etiam ad *irredebat* et *calebat*.

Cap. LXXII.

Qvin etiam in maximis occupationibus, cum ad te ipsum — — de ratione latine loqvendi accuratisime scripserit, primoqve in libro dixerit verborum delectum originem esse eloqventiæ.

Hunc locum etsi Ernestus cum sicco pede transierit, nulla possum ratione concoqvere. Et enim particula *cum* pro ea, qvam nunc tenet statione, mihi plane videtur otiosa, nam ut ei locus esse posset, aliqva seqvi debebat apodosis, qvæ vel subintelligendam particulam vel expressam haberet, qvæ ad *cum* in prodosi referri posset, at vero neutrum hic deprehenditur, nam verba „Hunc facilem et qvotidianum sermonem novisse" qvæ sola ita constituta sunt, ut pro apodosi possint haberi, qvia pertinent ad verba Cæsaris, ut infra probabimus, nullo modo possunt usum præstare apodosis verborum „cum ad te scriberet" sed illorum „si cogitata præclare eloqvi" qvibus tamen exceptis, nihil sane est, qvod aliqvam conseqventiæ speciem præferat. Hæc difficultas tollitur si ita legimus. „Qvin etiam cum in maximis *esset* occupationibus ad te ipsum — — accuratissime scripserit. Ex hac emendatione seqvitur, cum suo loco motum esse, verbumqve auxiliare *esset* excidisse, utriusqve generis exemplis abundat membrana a Schneidero consulta, unde simile etiam nostro loco accidere potuit. Licet etiam si ita magis placet, servato ordine, qvem vulgata exhibet,

textum hoc modo sistere „Qvin etiam in maximis occupationibus cum *esset*, ad te ipsum scripserit. Tum ratio conjunctivorum *scripserit* &c. in eo qværenda est, qvod Atticus solum fando acceperit Cæsarem in maximis suis occupationibus, nempe in transitu Alpium, cum ex citeriore Gallia ad exercitum rediret teste Svetonio Jul. cap. 56. huncce librum de ratione latine loqvendi scripsisse; eoqve in affirmando circumspectionem adhibendam putet. Hæc simplicissima videtur locum restituendi ratio. Silentio tamen non præteribo alias, qvæ mihi minus probantur. Aliqvando nempe putavi duplicem lectionem in textum irrepsisse, et alteram qvidem nonnihil immutatam, alteram vero suo loco motam, in qvibusdam enim codicibus pro *qvin etiam*, *qvi etiam* in aliis vero *cum etiam* scriptum fuisse, et cum utramqve imperitus aliqvis librarius in uno codice reperisset, licet altera in marginem cev varians lectio conjecta esset, eam etiam in textum, qva temeritas dictasset, ut omissum aliqvod vocabulum transscripsisse. Utrum ex his præferatur, punctum ante *cum etiam* vel *qvin etiam* tollendum est. Sententia enim hoc modo continuatur. „De Cæsare ita judico illum omnium oratorum Latine loqvi elegantissime, nec domestica solum consvetudine, sed summo etiam studio et diligentia *id* consecutus est, ut perfecta esset illa bene loqvendi laus. Cum etiam (da han endog (vel: qvi etiam) in maximis suis occupationbus ad te de ratione latine

loqvendi accuratissime scripserit. Hæc mutatio id parit incommodi qvod periodus longior efficitur, qvam ut uno spiritu absolvi possit, undè mihi minus probatur, qvam illa, cui principem locum assignavi. Unum video lectioni, qvam tueor opponi posse, nempe non opus esse istis „cum esset" sententiam enim sic expressam. „Qvin etiam in maximis occupationibus ad te scripserit" rem satis declarare. Verum non protinus, si qvid absqve sensus detrimento abesse potest recidendum est, sic enim nobis multa millia idiotismorum latini sermonis perirent. Fateor qvidem mihi in præsentia non succurrere pleonasmum ex nostro genere ɔ: ubi *cum* seqvente verbo *sum* redundet. Sed verbum *sum* multos pleonasticos loqvendi modos formare, ostendit Vorstius de Latinitate falso suspecta Cap. VI. Schneiderus in ep. critic. ad Langerum pro *qvin etiam* legere malit *qvi etiam* excluso *cum* post *occupationibus*, qvod mihi etiam in mentem venerat ante qvam Schn. conjecturam viderem, sed ideo minus probabatur, qvia, sive *qvi* Danice interpretor, der, v. som, sive illi significatum *cum* v. *qvippe* tribuo [ut in hoc exemplo ap. ep. lib. VIII. ep. 10. Ego qvidem præcipuum metum, qvod ad te attinet, habui, *qvi scirem* qvam paratus ab exercitu esses". Et in multis aliis] punctum mihi ante *qvi etiam* tollendum videtur, unde periodus in molestissimam longitudinem excrescit, in posteriore tamen sensu periodum arctius connectit. Verum sic alia ratio

conjunctivorum *scripserit*, *dixerit*, *tribuerit*, reddi potest, qvam, qvæ supra a me allata est, tum nempe pendent ab isto *qvi*, qvod hoc sensu conjunctivum adsciscit. Unum in discessu ab hac materia annotabo, nempe pronomen *id* mihi cum verbo *consecutus est* connectendum videri", ut respondeat τω seqventi *ut*,. scio tamen per se sumi posse, et subintelligi *factum est*, qvod si cui magis placuerit, non repugnabo.

Eodem Capite.

Ac, si cogitata præclare eloqvi ut possent nonnulli studio et industria elaborarunt, cujus te pæne principem copiæ, atqve inventorem bene de nomine ac dignitate populi Romani meritum esse, existimare debemus, hunc facilem, et qvotidianum novisse sermonem nunc pro relicto est habendum.

Cum locum hunc conclamatissimum me cum excutio, persvadeor, *si* post particulam *ac* aliud qvam *qvamvis* significare non posse, verum sic particula *tamen* ab initio apodosis illi opponi debebat, qvæ cum expressa non sit, subintelligendam esse manifestum est. Verum illa omissio non nullam parit incertitudinem, ubi apodosis in cipiat; inveniet tamen, qvi singula diligenter perpenderit, apodosin non alibi, qvam a verbis „hunc facilem et qvotidianum novisse sermonem" incip-

sere posse *a*). Qvo reperto facile perspicitur, primum continuari verba Cæsaris usqve ad initium seqventis capitis parenthesinqve demum ante verba „cujus te pæne principem" esse ponendam, nam pro ea, qvam nunc obtinet statione, sententiam plane disturbat. Deinde *hunc* ante *facilem* et *qvotidianum*, neqve pertinere ad Ciceronem, neqve Cæsarem sed δεικτικως referendum esse ad *sermonem*, atqve idem va-

---

a) Cum Romanis scriptoribus alias familiare sit particulas ab initio conseqventium periodi membrorum ponendas, omittere, ut supra ad cap. 66. exemplis ostendi, tum vel maxime id freqventant, ubi præcedente *si* in prodosi pro *qvamvis* posito, ab initio apodosis *tamen* seqvi debebat, uti nostro loco. Bina in hanc rem exempla adferam Cæs. Bell. Gallic. lib. III. cap. 12. Ita utraqve re oppidorum oppugnatio impediebatur, *ac*, *si* qvando magnitudine operis forte superati, extruso mari aggere ac molibus, atqve his ferme mænibus adæqvatis suis fortunis desperare cæperant [tamen] magno numero navium appulso, cujus rei summam facultatem habebant, sua omnia deportabant, seqve in proxima oppida recipiebant. Cic de Oratore lib. I. cap. 2. *Et*, *si* Plato de rebus a civilibus controversiis remotis divinitus est locutus, qvæ ego concedo, si item Aristoteles, si Theophrastus, si Carneades in iis rebus de qvibus disputabant in aliis qvibusdam studiis, [tamen] oratio qvidem propria est hujus rationis, de qva loqvimur, et qværimus.

lere ac hunc nostrum sermonem "vel „qvo nunc utimur" [Qvemadmodum supra cap. 2. Et enim si viveret Hortensius cætera fortasse desideraret unacum reliqvis et fortibus civibus; *hunc* autem præter cæteros, aut cum paucis sustineret dolorem, cum forum pop Rom: qvod fuisset qvasi theatrum illius ingenii voce erudita spoliatum videret. Ubi *hunc dolorem* est pro hunc nostrum dolorem, qvi me et cæteros oratores imprimis excruciat. Et cap. 70. Duo etiam Metelli *hoc* erant populare dicendi genus assecuti. *Hoc propr. gen.* est pro illud qvod novimus]. His ita enodatis venio ad verba „hunc facilem et qvotidianum novisse sermonem" qvæ me multum torserunt. Primum igitur duplici modo tentavi absqve ulla mutatione ea expedire, sententiam loci sic complectens „Qvamvis nonnulli eloqventiæ copiam studio et crebra exercitatione sibi comparaverunt tamen accurata et solida cognitio qvotidiani sermonis, nostris qvidem temporibus *(nunc)* pro neglecto *(relicto)* censeri debet. Vel. Adhuc (nunc) tamen relinqvitur (staaer det tilbage) ut qvotidianum sermonem accurate cognoscamus, atqve adhibita ratione optima qvæqve seligendo in usus nostros convertamus. Sed neutra harum explicationum satis placet, nam utraqve id habet incommodi, imprimis tamen prior, qvod ea circumscriptio, qvam verbum *habet* una cum præpositione *pro* et seqvente ablativo format, non solum langvida, sed fere otiosa videtur, atqve haud obscure indicare aliqvod vitium textui

adhærere. Si qvis vero opponat significationem, qvam vocabulo *relictus* tribuerim, exemplis probari vix posse, id me minus movet, cum haud difficile sit, si ita magis placuerit, aliam, nec valde discrepantem nec a tenore loci alienam mox pervestigare. Nempe *relinqvere* est intermittere, vel etiam dimittere id, cui qvis antea vacabat. Sic Horat Epist. lib. II. ep. 2. vs. 67. Hic sponsum vocat, hic auditum scripta relictis omnibus officiis. Hinc *relinqvere notitiam qvotidiani sermonis* intelligi potest, de neglecto studio qvotidiani sermonis, spretoqve, qvem ille oratori offerebat eloqventiæ subsidio, postqvam Cicero et alii ejus vestigiis insistentes exqvisitiore eloqvendi apparatu in sermones hominum emanaverant. Ad significatum vero, qvem in secunda explicatione vocabulo *relictus* tribui, qvod attinet, etsi sciam eum magis voci *reliqvus* competere, tamen qvia non desunt exempla ubi verbum *relinqvere* idem significat ac superesse, restare, ut apud Cic. Att lib. IX ep. 4. relinqvitur, ut si vincimur in Hispania qviescamus „non dubitavi suum participium idem significare posse. Haud invitus tamen largior, has voces facile inter se permutari posse. — Cum mihi non plane satisfacerent allatæ locum expediendi rationes, etsi nec valde displicebant, triplici via tentavi non tamen sine levi mutatione ejus sensum extricare 1) *relicto* in *reliqvo* mutando, idqve pro substantivo adhibitum, *debitum* interpretando, qvem significatum bene multis exemplis in thesau-

ro suo probatum dedit Gesnerus. Tum sensus" Adhuc tamen *το* novisse hunc qvotidianum sermonem cev debitum qvoddam nostrum qvod nondum solverimus existimari debet. Nec tamen hæc satis placuit conjectura, aliqvid enim, qvo amphibolia vocis *debitum* tolleretur, addendum desideravi II.) Tentavi pro *nunc pro relicto est habendum* litterarum ductibus fere insistens legere *non pro delicto est habendum*, sed mihi *το* delictum nimis durum videbatur, nam sensus qvidam meus mihi dictavit reqviri aliqvod vocabulum, qvod *supervacuum* (overflødig) aut simile qvid significaret nullum vero vocabulum conjectando potui eruere, cui ea, qvam qværebam significatio inesset, nisi nimium a ductibus vocis *relictus* recedens. Nam si Latini, sæpe soleant conseqvente pro antecedente uti, et relictus eo respectu supervacuum significare possit, cum qvod superat id, cujus qvis indiget, relinqvatur qvodqve ideo relinqvitur, qvia superat necessitatem utentis *supervacuum* sit, non ausim tamen statuere, eam esse significationem vocis *relictus* h. l. nam id esset ex præconteptis opinionibus significatum fingere: cum hæc scripseram vidi Schneiderum in ep. critic. ad Langer. Verba „hunc facilem et qvotidianum novisse sermonem, nunc pro relicto est habendum, referre ad verba cæsaris, et pro „nunc pro relicto" &c. legere non pro delicto est habendum.

Cap. LXXIII.

Verum qvidem si audire volumus, omissis illis divinis consiliis, qvibus sæpe constituta est, non imperatorum sapientia salus civitatis, aut belli, aut domi; multo magis orator præstat minutis imperatoribus.

Etsi plane vulgatam damnare non ausim, malim tamen ita legere atqve interpungere „Verum qvidem si audire volumus, omissis illis divinis consiliis, qvibus sæpe constituta est, non imperatorum sapientia, salus civitatis, aut belli aut domi. — Possunt etiam verba" omissis illis div. cons. qv. sæp. const. imp. sap. sal. civ. aut b. aut d. parenthesi includi. Cum considero Ciceronis consilium videtur mihi *non* excidisse qvem admodum infra cap. 95, qvod ibi recte restituit Ernestus. Inductus nempe Cicero mentione honorifici Cæsaris de se testimonii, qvem eximiis dicendi virtutibus bene meritum de populi Romani nomine et dignitate dixerat, occasionem capit comparationem qvandam inter oratorem atqve imperatorem instituendi, non dubitans asserere oratorem multum præstare minutis imperatoribus, nam si concedat imperatorem reipublicæ plus prodesse, tamen simul affirmat salutem civitatum non minus belli qvam domi magis pendere a deorum consiliis, qvam imperatorum sapientia. Cum multi Romanorum imperatores (nam eos potissimum in animo habuisse Ciceronem crederem, etsi idem qvoqve de qva

rundam aliarum gentium ducibus dici possit) etiam in pace eminentissimos in republica magistratus gererent, atqve adeo moderatores fortunæ publicæ qvodam modo dici possent, non omisit Cicero bonam partem prosperorum reipublicæ casuum utroqve in tempore deorum consiliis tribuere, ut diminuendis qvantum res patiebatur imperatorum laudibus, eos qvam minimum præstare oratoribus ostenderet. Hoc eo minore invidiæ specie facere potuit, qvod in principali parte nempe in bellica laude imperatorum attenuanda, secum consentientes habet alios Romanorum scriptores, imo vero ipsos adeo imperatores, sæpius tamen fortunæ tribuunt, qvod hic deorum consiliis assignatur, idqve etiam ipse facit Cicero oratione pro Marcello cap. 2. ubi his utitur verbis „Bellicas laudes solent qvidam extenuare verbis, easqve detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ sint imperatorum, et certe in armis, militum virtus, sociorum classes, commeatus multum juvant, maximam vero partem, et qvasi suo jure fortuna sibi vindicat et si qvid prospere gestum est, id pæne omne suum ducit. Succinit nostro Nepos in Trasibulo cap. I. Nonnulla jure suo ab imperatore miles, plurima vero fortuna vindicat, seqve hic plus valuisse qvam ducis prudentiam vere potest prædicare. Imo ipse Cæsar Bell. Gallic. lib. VI. cap. 30. ait" Fortunam multum cum in omnibus rebus, tum in re militari posse. Cfr. ejusdem Bell. Civil. lib. III. cap. 68.

Melius scriptor belli Alexandrini cap. 75. partes fortunæ ad deos transfert, affirmans eos cum omnibus casibus belli interesse, tum præcipue iis qvibus nihil ratione possit administrari. Cicero, qvi artem imperatoriam, et oratoriam cæteris solet anteponere, (instar omnium adferam orat. pro Murena cap. 14. Duæ sunt, inqvit, artes, qvæ possunt homines locare in amplissimo gradu dignitatis, una imperatoris, altera oratoris boni, ab hoc enim pacis ornamenta retinentur, ab illo belli pericula repelluntur) etsi per rei veritatem concedere cogatur utiliorem esse rei publicæ bonum imperatorem, qvam oratorem, tamen munus oratoris longe difficilus esse contendit. Hinc dicit Brut. cap. 6. Eo magis ista dicendi laude delector, qvod cætera qvæ sunt habita in civitate pulcherrima, nemo est tam humilis, qvi se non aut posse adipisci, aut adeptum putet eloqventem neminem video factum ex victoria cfr. Cic. de orat. lib. I. posteriorem partem capitis 2di et initium 3tii. Prudenter vero observat Cicero utilitatem pretium rerum non constistuere, nam sic bajuli nobis summis artificibus præferendi essent, adeoqve nec imperatorem, muneris causa, præferendum oratori, nam non qvantum qvisqve prosit, sed qvantum possit, ponderandum. Cum hæc scripseram, vidi Wetzelium verba „imperatoris sapientia" cancellis inclusisse, qvasi spuria. Qværit enim qvæ sit imperatorum sapientia domi, qva salus Civitatis constituatur" qvasi vero non mul-

torum præstantium imperatorum prudentia atqve sapientia etiam domi publicum bonum egregie promoverit.

Ante qvam alio me conferam, non dissimulabo, locum etiam absqve addito *non* ita intelligi posse „Si verum qvidem audire volumus fatendum est oratorem multo magis præstare minutis imperatoribus, nam hoc loco eum non comparo cum imperatoribus divini (excellentis) consilii, qvo, per eorum sapientiam, salus publica nititur." Loco sic intellecto crederem verba" Divina illa consilia „nempe imperatorum" (nam de consiliis deorum, qvi sapinentia imperatorum, qvasi instrumento qvodam exeqvendæ voluntatis suæ utantur, etsi locus haud omnino eam interpretationem respuat, minus malim accipere) atqve *sapientiam* nominatim ad Cæsarem dirigi, ut Cicero ei rependat laudes, qvas superiore capite sibi a Cæsare attributas commemoravit. Cur ita existimem facit Ciceronis ep. ad Attic. lib. VIII. ep. 9. Cum autem ad pacem hortarer eum (nempe Cæsarem) præsertim hominem, | non videbar ullo modo facilius moturus, qvam si id, qvod eum hortarer convenire ejus *sapientiæ* dicerem, eam si dixi admirabilem, cum eum ad salutem patriæ hortabar, non sum veritus ne viderer assentari, cui in tali re, me lubenter ad pedes abjecissem. Hæc verba non obscure innuunt Cæsarem sapientiæ laudibus delectatum fuisse. Et hinc Cicero initio orationis pro Marcello cum ei ob Marcellum patriæ restitutum agit

gratias, dicit se incredibilem ejus *sapientiam* ac pæne divinam tacitum, nullo modo præterire posse. Prior conjectura magis placet.

Cap. LXXIV.

Alia *qvidem* via ad eandem laudem pervenit.

Magis mihi Ciceronianum videtur legere „alia qvadam via". Sæpius videre licet ista duo locum commutasse sic infra cap. 78. gestusqve natura ita venustus ut ars etiam, qvæ non erat, et e disciplina motus qvidem videtur accedere „ubi in Monradi editone est *qvidem* in Vetzeliana vero *qvidam*, qvod sine dubio est rectius, et cap. 63. et erat ejus (orationis) *qvidem* tanqvam habitus non inurbanus, ubi Schneid. Cic. restituit *qvidam* collato Cic. orat. lib. III. cap. 52.

Cap. LXXVII.

Vox canora verba non horrida sane, ut plena esset animi, et terroris oratio.

Vereor ne hic aliqvod lateat mendum, nam ex eo qvod vox erat canora, et verba non horrida minime seqvi necesse erat, ut oratio esset animi plena et terroris, et si prius, nempe *vox canora* aliqvid conferre poterat ad istum terrorem orationi addendum, posterius tamen, nihil. Forte Cicero scripserit. „Et plena erat".

Cap. LXXIX.

Erant autem verborum et sententiarum illa lumina, qvæ vocant Græci σχήματα, qvibus tanqvam insignibus in ornatu distingvebatur omnis oratio.

Verba „in ornatu" delevit Lambinus, eaqve commode abesse posse judicat Ernestus, si vero retineantur, sensum esse „qvæ in reliqvo ornatu sint insignia maximeqve incurrant in sensus. — Ex hac annotatione Ernestiana liqvet eum vocem *ornatu* ad orationem retulisse, eandem fuisse Wetzelii opinionem inde colligitur, qvod allata modo Ernesti annotatione de suo nihil addidit. Mihi *insignia* in *ornatu* h. l. sunt qvæcunqve, qvibus vestes et similia distingvuntur v. c. gemmæ, aurea fila, et id genus alia. Itaqve sensus „M Calidius orationem schematibus perinde distingvebat, uti vestes sumtuosæ insignibus distingvuntur. Locum nostrum illustrat Cic. orat. cap. 39." Et reliqva ex collocatione verborum, qvæ sumuntur qvasi lumina magnum adferunt ornatum orationi, sunt enim similia illis, qvæ in *amplo ornatu scenæ*, aut *fori* appellantur *insignia* non qvod sola ornent, sed qvod excellant. — Si vel maxime ante v. post vocem *ornatu* *το suo* subintelligatur, ut vocabulum *ornatus* ad ipsam orationem, non alio referatur, minime tamen otiosum atqve adeo cum Ernesto excludendum mihi videtur, cum Cicero sæpissime soleat involucrum orationis *ornatum* vel etiam *ve-*

stem appellare, qvam in rem unum ex orat. Cicer. lib. III. cap. 25. causa summæ, qvæ inter eum atqve nostrum locum intercedit similitudinis, exscribam locum. „Ut conspersa sit (oratio) qvasi verborum sententiarumqve floribus, id non debet esse fusum æqvabiliter per omnem orationem, sed ita distinctum, ut sint qvasi in *ornatu* qvædam insignia et lumina.

Cap. LXXXI.

Qvamqvam facienda mentio duorum adolescentium.

Hic ante vocem *facienda* excidisse, opinor *τὸ prius.*

Ibidem.

C. curionem te, inqvit, Brutus et C. Licinium arbitror dicere. Recte, inqvam, arbitraris; qvorum qvidem alter (qvod verisimile dixisset) ita facile sententias volvebat, ut nihil posset ornatius esse.

Verba „qvod verisimile dixisset" Ernestus putat spuria esse; contra acutissimus Schneiderus legendum conjicit „Qvod verisimile vix est v. esset" Ad me vero qvod attinet, non dubito glossam esse, nec immutatam tamen, nec suo loco in textum illatam. Cum aliqvis legeret Ciceronis, ad hæc Bruti verba „Licinium te arbitror dicere," responsum „recte; inqvam, *opinaris*, protinus ei in

mentem venit id semplicius ita exprimi potuisse „verissime dixisti" atqve id interpretamentum margini codicis sui allinit; cum aliqvis deinde eundem codicem exscriberet, hæc verba per negligentiam omissa, ad textum pertinere existimans, verbis auctoris, sed alieno tamen loco, interserit, a qvibus qvia nimis manifesto abhorrebant, *qvod* de suo addit, et *verissime* in *verisimile* mutat. Nec tamen qvicqvam, si ita magis placet, obstat, qvominus credamus aliqvem, cum hæc Ciceronis verba „Recte arbitraris" legeret, ita secum cogitasse, qvod Cicero ita expressit„ recte arbitraris" aliqvis modo dixisset *verissime*, atqve ita brevitatis causa in marginem codicis sui scripsisse, *qvod verissime dixisset* sc. aliqvis. Qvi enim ejusmodi glossas aliqvando attentione dignatus fuerit, obscurum esse non potest, qvanta brevitate interdum summam rei attingant. Mos est scriptoribus Latinis, ubi in respondendo aliorum dicta affirmare volunt, aut verbum repetere, qvo usi erant, qvorum dicta affirmantur, aut aliqvod similis sententiæ, non autem nude affirmando consentire. Ad hunc idiotismum latini sermonis attentus fuit auctor glossæ „verissime dixisti." Qvam in rem cum nostro loco conferri merentur Brut cap. 3. visus est mihi Brutus consolari te amicissime, *recte*, inqvam, *est visus* ibid. cap. 19. Ad id qvod instituisti oratorum genera distingvere ætatibus istam diligentiam esse accommodatam *puto*, *Recte*, inqvam Brute, *intelligis*; cap. 42. Dialecticam mihi

videris dicere, *recte*, inqvam, *intelligis*: In omnibus his locis dicere potuisset Cicero *verissime dixisti.*

Cap. LXXXII.

Sed ad Calvum (is enim nobis erat propositus orator) revertamur, qvi orator fuisset cum litteris eruditior, qvam Curio, tum etiam accuratius qvoddam dicendi et exqvisitius afferebat genus.

Verba „qvi orator fuisset" sensu carent, cum commate post fuisset posito, a seqventibus sejungi soleant, nec omnino cum iis connectenda esse, qvod tamen Wetzelius fecit, mox seqvens indicativus *afferebat* ostendit. Qvod vero me imprimis in textu, prouti nunc legitur, offendit, est conjunctivus *fuisset*. Nec satisfacit Wetzelius, qvi *fuisset* ad seqvens *cum* referens, præeunte Hensingero, *fuisset* interpretatur *esset*, nec enim ulla probabilis ratio istius temporum mutationis apparet, nec cur particula *cum* h. l. pro *tum* adhibita conjunctivum regat. Facile qvidem est *fuisset* in *fuit* cum Corrado mutare, qvo sensus et constructionis difficultas tollitur, sed qvia parum probabile est, breviorem vocem in aliam longiorem per depravationem abiisse, opinor potius post verbum fuisset *to melior*, *nam* „excidisse, qvod si vero non solum mutilatum, sed etiam turbatum esse ordinem e codicum inconstantia colligi posset, sic

legerem,, Qvi orator fuisset melior qvam Curio, nam cum litteris eruditior tum etiam accuratius qvoddam dicendi et exqvisitius afferebat genus. Textu hac mutatione facta accuratius examinato, facile patet rationem conjunctivi *fuisset*, qværendam esse in negligentia Ciceronis, qvi cum dicere voluisset" Calidius orator *fuisset* melior qvam Curio „nisi nimium in se inqvirendo verum sangvinem deperdidisset, inter scribendum ad proxima qvæqve modo attentus, ab incepta constructione aberravit.

Cap. LXXXIV.

Qvare si anguste et exiliter dicere est Atticorum,, sint sane Attici, sed in comitium veniant, ad stantem judicem dicant. Subsellia grandiorem et pleniorem vocem desiderant.

Haud parum negotii exhibuit interpretibus *stans judex*, qvem Cicero hic commemorat, qvod veterum monumentis constat judices qvalescunqve fuerint, sedentes djiudicare lites consvevisse. Commenti sunt tamen interpretes, nescio qvos judices, qvi stantes judicaverint, vel intervenientes casus, vel mutatas judiciorum formas, in partes vocaverunt. Mihi vero totius loci tenor haud obscure indicare videtur Ciceronem scommatice, ut ita dicam, loqvi, neqve adeo de certis *judicibus*, qvi præ aliis *stantes* dici potuerint, cogitasse, omnes enim judices, dum in foro stant,

stantes dici, qvis jure mirabitur et qvem porro offendet, si judices, qvi paullo prius in forum descendebant, qvam actio incipiebatur, stantes, ambulantes, cum familiaribus loqventes tempus triverint, cum præsertim memoriæ proditum sit (Cic. Brut. cap 54) interdum judices, dum ipsa adeo causa agebatur, si orator minus placebat, circulari consvevisse. Hinc Cicero per ludibrium svadet mediocribus istis oratoribus, qvi sibi Atticorum similes videbantur, ut satis habeant de plano dicere, rostra non attingant, neqve exspectent dum judices assideant, procul a suggestu, procul a subselliis, modo alicubi in comitio, stanti judici causam exponant, nihil coronam, aut advocatos ad se pertinere putent, qvos sua dicendi mediocritate detinere omnino non possint. Loco sic intellecto, omnia mihi plana videntur, si *modo* subintelligatur, aut excidisse putetur ante ista, *in comitium veniant*, qvod melius tenori loci, seqventiqve conjunctivo *veniant* convenire videtur, qvam si *cum* vel *si* subintelligatur. Aliqvando conjeceram Ciceronem in ambiguitate vocis *comitium*, qvod ex sua compositione, qvemcunqve conveniendi locum denotare posset, ludere, innui igitur *trivia*, ubi fæces populi convenissent, in qvibus rixæ, et jurgia facile potuissent oriri, qvæ *arbitrum* poscerent, ejusmodi arbitrum Ciceronem hic *judicem* appellare qvemadmodum Plaut. Most. III. 1, 30. utqve ad tales judices se conferrent isti Attici, causam litigantium suscipientes, illum hortari-

Cap. LXXXV.

Ego, inqvit, ironiam illam, qvam in Socrate dicunt fuisse facetam, et elegantem puto — sed in historia, qva (sc. ironia) tú usus es in omni sermone, — — vide qvæso, inqvit, ne tam reprehendenda sit ironia, qvam in testimonio.

Qvidem post *ego* excidisse opinor, nam alias nihil est qvod opponatur *sed*. De hoc tamen suum cuiqve judicium relinqvo.

Cap. LXXXIX.

Qvi freqventes aderant, qvamqvam pro se ipsi dicebant, oratores non illi qvidem principes, L. Memmius et Q. Pompejus, sed oratores tamen, teste diserto uterqve Philippo, cujus in testimonio, contentio et vim accusatoris habebat et copiam.

Hunc locum dicit Ernestus se non intelligere, nec Corradum eum intellexisse. A re alienum Ernesto videtur hic commemorare qvalis in testimonio dicendo Philippus fuerit, nec dissimularim mihi etiam ita videri. Locus tamen ita potest intelligi. Philippum, cum in judicio testimonium pro aliqvo vel contra aliqvem diceret, tam verbose solitum loqvi, ut testimonium justam orationem fere exæqvaret, tantaqve contentione usum, ac si accusatorem ageret. Ad illustrandum hunc locum

multum confert Cic. de orat. lib. II. cap. 3. Nam et testimonium sæpe dicendum est ac non nunqvam accuratius, ut mihi necesse fuit in Sex. Titium seditiosum civem et turbulentum. Explicavi eo testimonio dicendo omnia consilia consulatus mei, qvibus illi tribuno plebis pro re publica restitissem, qvæqve ab eo contra rem publicam facta arbitrarer, exposui. Diu retentus sum, multa audivi, multa respondi. Ad commemorandam vero vehementiam et copiam Philippi in dicendo testimonio per ductus est Cicero, qvod Memmium et Pompejum oratores fuisse dixerat *diserto teste Philippo*. Valde tamen hoc loco displicet transitus, cui inanis verborum lusus occasionem suppeditavit. Cum hæc scripseram, vidi Wetzelium in eandem fere sententiam concessisse. Aliter de hoc loco sentit acutissimus Schneiderus, qvi verba „teste diserto Philippo" de eo intelligit, qvod Memmius et Pompejus cum lege Varia accusati pro se dicerent, testem ad hibuerint Philippum.

Cap. XCI.

Lateribus vires, et corporis mediocris habitus accesserat.

Ernestus emendat *corpori* propter oppositionem, qva sibi *lateribus vires*, et *corpori habitus* respondeant, qvam conjecturam Wetzelius in textum recepit. Valde hæc placet conjectura, qvæ qvidem talis est, ut cuivis legenti se sponte offe-

rat, haud tamen necessaria; nam si *mihi* in posteriore membro subintelligatur, non id dicit Cicero, ut habitus corporis lateribus accesserit, ut Ernestus voluit.

Cap. XCIII.

Qvid tanqvam notandum et animadvertendum sit in Hortensio breviter licet dicere. Nam is post consulatum summum illud studium qvo a puero fuerat incensus, remisit.

Cum primum hunc locum perlegerem eodem, qvo Schultius modo eum intelligebam, sed re diligentius pensitata sententiam mutavi. Verum cum haud sciam an ea falsa sit, libuit eam doctorum judicio subjicere. Particula *tanqvam* hoc loco addita mihi indicare videtur Ciceronem respexisse notam et animadversionem censoriam; nam hanc particulam Cicero fere adhibet, ubi figurate loqvitur. Præterea h. l. incertum esse poterat, utrum verba *notare* et *animadvertere* in taxandi et reprehendendi sensu, an observandi adhiberentur, hinc necesse erat istam ambiguitatem tollere. Nec vero Cicero solet hac particula uti, ubi per contextum significatus verbi *notare*, elucet, ut Cic. orat. lib. II. cap. 85. Simul illud est ante oculos nec bonum virum proprie et copiose laudari sine virtutum, nec improbum *notari* ac vituperari sine vitiorum cognitione satis insigniter atqve aspere posse. Nec opus est, imo ne ferri qvidem potest,

ubi verba *notare* et *animadvertere* in observandi sensu occurrunt, qvemadmodum Brut. cap. 91. Ad Molonem me applicavi in notandis animadvertendisqve vitiis prudentissimum. Qvod me præter particulam *tanqvam* in eam, qvam dixi sententiam adduxit, est, qvod causa cur reprehendendus sit Hortensius mox additur, nempe qvod consul factus, pristinum studium remiserit, unde insigniter ejus decoxerit eloqventia.

Ibidem.

Atqve (ut multa omittam) in hoc spatio, et in his post ædilitatem annis, et prætor primus, et incredibili populari voluntate sum factus.

Mutanda est parenthesis, qvæ constructionem valde perturbat, et demum post vocem *annis* claudenda, nam alias sensus emergit absurdus, ac si prætor factus sit hoc spatio et proximis post ædilitatem annis, ut adeo multis annis opus fuerit ad eum ante alios prætorem declarandum. Cæterum qvod Lambinus et Ernestus pro „incredibili *populari* voluntate" malunt legere *populi voluntate*, qvia Cicero sic semper in hac re loqvatur, mihi non videtur necesse, nam qvantum memini, Cicero etiam semper dicere solet *enumeratio oratorum* et tamen cap. 93. variandi gratia dixit *enumeratio oratoria*, qvod certe insolentius qvid sapit, qvam populari voluntate.

Ibidem.

Nemo (erat) qvi memoriam rerum Romanarum teneret, ex qva, si qvando opus esset ab inferis locupletissimos testes excitaret.

Ernestus cui ista „ab inferis locupletissimos testes excitaret" duriora videntur, *qvasi* putat excidisse ante ab *inferis*. Ego longe aliter existimo, nam additum *qvasi* mihi sententiam Ciceronis, quam vividissime voluit expressam mire videtur enervare. Nec vero, si alias frangenda esset vis expressionis, illud *qvasi* recte adderetur τῳ ab *inferis*, cum enim orator viros vita defunctos cev testes inducit, non eos aliunde qvam ab inferis excitat; sed potius leniendum erat verbum *excito*. At multo elegantius qvadam amphibolia ex studio petita, vis expressionis temperatur, qvam si *qvasi* additum fuisset, nam excitare idem hic valere potest ac simplex *citare*, testes vero *citari* dicuntur, cum ad testimonium dicendum appellantur, *ab inferis* vero *excitari*, qvum in vitam revocantur, idem igitur verbum de utraqve re satis commode intelligi potest. Nisi Cicero ea in mente habuisset, qvæ ei attribuo, dicturum putem fuisse „testes ab inferis evocare" Hac igitur observata ambiguitate, attentus lector, non magis, de testibus ab inferis *evocandis* qvam inde citandis cogitaverit.

Cap. XCIV.

Qvibus qvidem causis tu etiam Brute præsto fuisti, compluresqve et nobiscum et solus egisti, ut qvi non satis diu vixerit Hortensius, tamen hunc cursum confecerit. Annis ante decem causas agere coepit, qvam tu es natus, idem qvarto et sexagesimo anno, perpaucis ante mortem diebus, una tecum socerum tuum defendit Appium.

Hic locus acutissimo Schneidero nimis abruptus et sensu cassus videtur. Etiam ego semper aliqvot verba excidisse suspicatus sum, nec ea, qvæ habentur, omni vitio carere. Si paullo liberius conjecturis indulgere fas esset, omnium maxime vellem hunc locum ita legere „Hinc liqvet, ut si non satis diu vixit Hortentius, tamen hunc cursum confecerit, qvi annis ante decem causas agere cæpit, qvam tu es natus. Ex duobus alterutrum necesse est, vel ut Romanorum scriptores interdum sibi permittant aliqvid ante particulam *ut* reticere, sententiamqve ante qvam finem contingat, subito abrumpere, vel, ut librariorum incuria sæpius ante hanc particulam, aliqvot verba omiserit. Ad nostrum enim locum qvod attinet, contextus docet verba *hinc liqvet*, aut similia ex alterutra; qvam dixi causa, abesse. Idem observavi in Amicitia Cic. cap. 15. Amicitiarum sua cuiqve permanet stabilis et certa possessio, *ut* etiamsi illa maneant, qvæ sunt qvasi

dona fortunæ; tamen vita inculta, et deserta ab amicis, non potest esse jucunda. Ante *ut* manifesto sensus reqvirit ut addatur „*qvæ tantam vim habet*" aut simile. Si, qvod ægre mihi persvadeo hoc et nostro loco, verba, qvæ sensus ut integer et absolutus sit, reqvirit, potius subintelligenda, qvam excidisse putanda sunt, fateor nostrum locum sanum haberi posse, si *qvi* post *ut* pro *qvamvis* sumatur, qvod sæpe significat. Sic v. c. Cic. ep. ad fratr. lib. I. ep. 2. Atqve is dolor est, qvod cum ii, qvos nominavi te innocentia non vincant, vincunt tamen artificio benevolentiæ colligendæ, *qvi* (qvamvis) neqve Cyrum Xenophontis neqve Agisilaum noverint.

Cap. XCV.

Sed si qværimus cur adolescens magis floruerit dicendo, qvam senior Hortensius, causas reperimus verissimas duas, primum, qvod genus orationis Asiaticum adolescentiæ magis concessum, qvam senectuti.

Ernestus ait sine dubio legendum *primam* sc. causam, maxime qvia seqvatur *qvod*, nam si *primum* scripsisset, seqvi debuisset *genus erat* sine *qvod*. At vero *primum* h. l. non est adjectivum sed adverbium, ut verba *causas reperi verissimas duas* manifesto indicant, et enim si Cicero adjectivo uti voluisset, qvod referretur ad præcedens illud *causas*, sine dubio *unus* non *primus* adhi-

buisset, propositis enim duabus tantum *causis*, vocabulo, qvod significationem superlativam involveret, qvale est *primus* locus esse non potuit, dici enim debebat *prior* — *posterior*, ita vero Romani loqvi non amant, sed ubi rem per adjectivum expressam volunt dicere solent *unus* seqvente *alter* ut paullo post in hoc ipso capite" genera Asiaticæ dictionis duo sunt, *unum* sententiosum, *aliud* (pro alterum paullo insolentius) non tam sententiis freqventatum; vel ope adverbiorum explicant sententiam dicentes *primum* seqvente *deinde*, qvod genus loqvendi Cicero h. l. prætulit. Cæterum mirum est neqve Ernestum, nec recentissimum Bruti editorem, aut ullum omnino qvod sciam commentatorem observasse, simile qvid Ciceroni hic accidisse, qvod supra cap. 60. in Curione vituperat, nempe qvod, ob defectum memoriæ aliqvoties, cum tria proposuisset, aut *qvartum* addidisse aut *tertium* qvæsivisse reperiatur. Nam, cum Cicero propositis geminis causis, cur adolescens dicendo magis, qvam senior floruerit Hortensius, alteramqve attulisset, nempe qvod genus dicendi Asiaticum, qvo usus fuisset, melius convenisset adolescentiæ qvam senectuti, alterius plane oblitus est, aut, ut minimum dicam, verba non ita temperavit, ut ullus transitus a priore ad posteriorem causam appareat. Nam, cum dixerat „Reperimus duas fuisse causas *primum* seqvi debebat *deinde* qvod non ita est. Qvi tamen attente totum caput perlegit, posteriorem causam, qvam

allatam volebat Cicero, qvasi per nebulam indagare potest, imprimis si finem hujus capitis cum initio cap. 93. conferat, eaqve hæc esse nobis videtur, qvod Hortenfius provectior ætate, studium eloqventiæ remiserit. Eoqve hæc verba capitis nostri" qvodqve exercitationem studiumqve dimiserat, qvod in eo fuerat acerrimum, concinnitas illa crebritasqve sententiarum pristina manebat, sed ea illo vestitu orationis, qvo consveverat uti ornata non erat „retulerim. Hac tenus ista — Qvod vero hic Cicero dicit Hortensium „studium *dimisisse*" durius mihi in amicum dictum videtur. Succurrit igitur legendumne sit „studium remiserit." Hanc opinionem meam confirmant hæc verba cap. 93. Nam is (de eodem Hortensio loqvitur Cicero) post consulatum; summum illud studium *remisit*, qvo puero fuerat incensus.

Eodem Capite.

Alterum autem genus est (de Asiaticis dicendi generibus loqvitur) non tam sententiis freqventatum, qvam verbis volucre, atqve incitatum, *qvali* est nunc Asia tota.

Facile aliqvis offensus rariore loqvendi modo „qvali est nunc Asia tota" legendum crederet „qvale est nunc Asia tota" ut Asia tota essent duo ablativi pendentes a subpressa præpositione *in*. Sed sine dubio verior est illa exqvisitior lectio" qvali est nunc Asia tota" qvæ ita resolvi debet;

in qvo v. qvali versatur nunc A. t. Nam ejusdem generis est et illud Cic. Brut. cap. 9. Phalereus primus inflexit orationem, et eam mollem teneramqve reddidit, et svavis sic uti fuit videri maluit, qvam gravis, sed svavitate ea qva perfunderet (sc. Phalereus) animos *non qva perstringeret.* Pro qvæ (sc. svavitas) perstringeret animos. Cic. Somn. Scip. cap. 3. jam ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri qvo (sc. imperio) qvasi punctum ejus attingimus pæniteret. Pro qvod (sc. imperium) qvasi punctum ejus attingit Liv. lib. XXXI. cap. I. Pacem punicam bellum Macedonicum accepit periculo haud qvaqvam comparandum, aut virtute ducis, aut militum robore, claritate regum antiqvorum vetustæqve fama gentis, aut magnitudine imperii, qvo (sc. imperio) multam qvondam Evropæ, majorem partem Asiæ obtinuerunt, armis prope nobilius. Pro qvod (sc. imperium) obtinuit &c.

Eodem Capite.

Hoc tibi ille Brute minus fortasse placuit, qvam placuisset si illum flagrantem studio et florentem facultate audire potuisses.

Florere facultate Ernesto displicuit, qvi neminem sic unqvam dixisse statuit. At Columella in præfatione operis sui dixit *florere studio*, qvod nihilo magis proprie dictum videtur, qvam florere

facultate. Nil igitur necesse puto *ætatem* cum Ernesto pro *facultate* legere.

Cap. XCVII.

Galba fuit inter tot æqvales unus excellens; cui qvemadmodum accepimus et Cato cedebat senior, et qvi temporibus illis ætate inferiores fuerunt, Lepidus postea, deinde Carbo.

E duobus alterutrum necesse est, vel ut prava sit interpunctio, distinctioqve major post verba „ætate inferiores fuerunt" poni debeat, vel servata interpunctione pro Lepidus *postea* Lepidus *primum* scribi oporteat. Si prius admittitur post verba „Lepidus postea", ex superioribus repetendum fuit „inter tot æqvales unus excellens". Tum sensus: Galba inter æqvales suos præstitit, cui non minus Cato, qvi ætate erat major, qvam illi, qvi ætate erant minores, eloqventiæ fama cedebant. Postea Lepidus inter tot æqvales suos præstitit, et deinde Carbo. Verum qvo minus hoc assumi possit, obstat Brut. cap. 25. unde colligitur Lepidum et Carbonem iisdem temporibus, qvibus Galbam, ætate tamen nonnihil dispares vixisse. Ibi nempe dicitur „At vero M. Æmilius Lepidus, qvi est Porsena dictus, iisdem temporibus, qvibus Galba, sed paullo natu minor — — summus orator est habitus. Hunc studiose duo adolescentes ingeniosissimi, et prope æqvales C. Carbo et T. Gracchus audire soliti sunt. Et lib. I. de orat.

cap. 10. ait Scævola. Eqvidem et Ser. Galbam memoria teneo divinum hominem in dicendo et M. Æmilium Porsenam &c. — Cum igitur prior locum expediendi ratio veritati historicæ repugnet, super est, ut interpunctione servata, qvam illa exhibet sensum, seqvamur. Is vero est. „Galbæ inter tot æqvales uni excellenti Catonem cessisse seniorem, et qvi temporibus illis ætate inferiores fuerint, nempe primum Lepidum, ac deinde Carbonem, verum tum utiqve scribi non debebat" Lepidus *postea*, sed Lepidus primum, „Nisi tres fuissent, tum ita" Cajus primum, Lepidus postea deinde Carbo. „Nam ut particulæ *postea* locus esse posset aliqvid præcessisse debebat, qvo referretur, qvod hic nihil est, et enim Lepidus primus, non secundus numeratur *ex ætate inferioribus*, qvi Galbæ eloqvendi facultate cesserit.

Ibidem.

Nihil dico amplius, tantum dico, si mihi accidisset ut numerarer in multis, si operosa est concursatio magis opportunorum.

Omnes hunc locum mendosum vel mutilum esse consentiunt. Mihi aliqvando in mentem venit, *si* ante *operosa* ejiciendum, utpote per lapsum calami ex *si* ante *mihi* repetito, eamqve esse sententiam „Molestæ sunt angustiæ melioris notæ oratorum eloqventiæ famam captantium, cum ego præ illorum concursatione excludar.

Excursus ad Bruti cap. Vtum.

De Futuro Exacto.

Qvemadmodum futurum exactum pro absoluto sæpius adhibetur, ut supra ostendi, ita etiam futurum absolutum pro exacto positum reperitur. Sic Cicero ad fratr. lib. III. ep. I. Tibi, qvod rogas, si qvid habebo spatii scribam. Cur ni *habuero*, ut toties alias in re simili. Nam si qvis dicit id factum esse ad indicandam festinationem, qva oblatam occasionem sit arrepturus, multa opponi possunt exempla, qvæ hæc, et ejusmodi plura, scriptorum magis inconstantiæ, qvam rationi tribuenda esse convincant. Qvis enim exspectaret majorem in illis tarditatem Cic. lib. XI. ep. 23. Ego si ullo modo *potuero* vel nocturnis itineribus experiar ut ad te veniam. — — Neqve tamen hoc modo licet reperire, sed etiam uti præsens indicativi pro futuro absoluto sæpe ponitur, ita et pro futuro exacto. Sic v. c. Cic. ep. lib. V, ep. 2. Si hoc exspectandum est dum totum bellum conficiam viginti oppida sunt Dalmatiæ, qvæ et ipsa sibi adscivere amplius LX. hæc nisi omnia *expugno*, si mihi supplicationes non decernuntur, longe alia sum conditione ac cæteri imperatores. Nam manifesto hic sensus est. „Longe alia sum conditione ac cæteri imperatores vestri, si mihi supplicationes non decernuntur, nisi omnia Dalmatiæ oppida *expugnavero*.

Qvam vel politissimi Romanorum scriptores sibi parum constiterint in futurorum exactorum usu, vel qvam librarii ista tempora commiscuerint (nam utrum potius statuendum sit, haud facile dixérim) luculente sane ostendit Cic. ep. ad Div. lib. IX. ep. 16. Ibi nempe cum per parenthesin interrupto cogitandi filo Cicero se ipse revocat, futurum exactum ubi antea fuerat absolutum reperitur." Sic mi Pæte habeto qviqvid arte fieri *poterit* (non enim jam satis est consilio pugnare, artificium aliqvod excogitandum est) sed tamen', qvicqvid elaborari aut effici *potuerit* ad istorum benevolentiam conciliandam et colligendam, summo studio me consecutum esse.

Qvoties *sic* cum futuro exacto construitur, vel solita significatione gaudet, tumqve futurum exactum semper pro absoluto poni videtur, vel significat *cum* aut *postqvam*, qva in re futurum exactum suam naturam retinet. Posterius exemplis prius ostendam. Cum Servius Sulpicius conqvisitis undiqve argumentis in elegantissima epistola, qvæ 5ta est in ep. Cic. ad Div. lib. IVto Ciceronem causa filiæ mortis, mærore affectum excitare diu laboraverat, sub finem ita loqvitur. „Plura me ad te scribere pudet, ne videar prudentiæ tuæ diffidere. Qvare si hoc unum proposuero, finem scribendi faciam Cic. de Amicit. cap. 16. Alius igitur finis amicitiæ est constituendus, si prius qvid reprehenderc Scipio sit solitus dixero. Idem Acad. Qvæst lib. IV. cap. 20. Aggrediar igitur, si pauca

ante qvasi de fama mea *dixero*. Ad Herenn. lib. IV. cap. I. Nunc si pauca, qvæ res postulat, dixerimus, tibi id, qvod reliqvum est artis, ita ut instituimus persolvemus. Cic. off. lib. II. cap. 6. Sed qvoniam non nunqvam hoc subsidium necessarium est, qvemadmodum sit utendum dicemus, si prius iis de rebus, qvæ virtuti propiores sunt dixerimus. Huc etiam retulerim ista in præfatione Cornel. Nepot." Qvi si didicerint non eadem omnibus esse honesta atqve turpia non admirabuntur nos in exponendis virtutibus Græcorum mores eorum secutos. Nam si particulæ *si* solitam significationem tribuimus, *didicerint* pro perfecto conjunctivi accipiamus oportet, atqve pro didicissent positum existimemus, tum vero non mirabuntur, sed mirarentur, seqvi debebat. Contra si particulam si ut in exemplis modo allatis interpretamur et didicerint pro futuro exacto, qvod absolutum seqvi plerumqve solet, assumimus, omnis difficultas tollitur „hoc emergente sensu." Cum illi, qvi prius erant expertes litterarum Græcarum didicerint; qvod antea ignorabant, nempe non eadem omnibus esse honesta atqve turpia; tum mirari desinent nos in exponendis virtutibus Græcorum mores eorum secutos. — Prius; qvod dixi nempe futurum exactum pro absoluto poni qvoties *si* solito significatu gaudeat, qvod fluit ex ipsius particulæ *si* natura exemplis non indiget. Illud vero prætereundum non puto, pleraqve, si non omnia, qvæ huc pertinent exempla, ita tamen

posse resolvi, ut significationi futuri exacti locus esse qveat. Qvam ob rem aliqvando arbitrabar, particulam *si* semper ante futurum exactum, significare *cum* vel *postqvam*, cui tamen sententiæ postea renunciavi. Verum; ut qvod sentio clarius perspiciatur, aliqvot exempla adferam. In orat. pro Planco cap. 34. ait Cicero deridebor si thensarum mentionem fecero, cum tu id prædixeris. Qvod ita resolvi potest. „Si facio m. th. d. postqvam eam feci Sic. Cic. Attic. lib. III. ep. 2. Si accepero litteras, qvas exspecto, ad te me conferam. Sic etiam noster locus" Si potuero, faciam vobis satis „resolvi potest." Satisfaciam vobis si potero, postqvam intelligo me id facere posse. Si qvis vero qværit cur Cicero hic futuro exacto utatur, responderi potest videri sibi non prius postulatis Bruti et Attici satisfacere posse, qvam fortunam reipublicæ, et eloqventiæ interitum eluxerit, neqve eum nisi animo, si non liberato a mæroribus, at nonnihil levato, ipsum, qvod proposuerat opus aggredi.

